MASTER NEGATIVE NO. 93-81555-7

AUTHOR:

SCHONACK, WILHELM

TITLE:

CURAE HIPPOCRATICAE

PLACE:

BERLIN

DATE:

1908

Master Negative #

93-81555-7

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88H63
DZ8 Schonack, Wilhelm, 1885-
v.1 Curae Hippocraticae, dissertatio ... quam ... scripsit Guilelmus Schonack. Berolini, Salewski, 1908.
110 p. $22\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Königsberg.

Volume of pamphlets

376017

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7-8-93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

CURAE HIPPOCRATICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

ALBERTINA REGIMONTANA

SCRIPSIT

GUILELMUS SCHONACK

BEROLINENSIS.

BEROLINI.

Typis expressit Carolus Salewski.

1908.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulerunt:

Arthurus Ludwich Dr. Prof. publ. ord.
Ricardus Wuensch Dr. Prof. publ. ord.

IULIO HIRSCHBERGIO

IOHANNI VAHLENO

hasce studiorum primitias

d. d. d.

auctor.

Δίκαιόν ἐστι τὸν φάντα ὀρθῶς γινώσκειν ἀμφὶ τῶν πρηγμάτων παρέχειν ἀεὶ ἐπικρατέοντα τὸν λόγον τὸν ἑωυτοῦ, εἴπερ ἐόντα γινώσκει καὶ ὀρθῶς ἀποφαίνεται.

Hippocrates Littréi, vol. VI. de natura hominis c. 1. pg. 34. 2 sqq.

Ubinam in congerie Hippocratea lateat verus Hippocrates quaeque scripta sint genuina „quaeritur et quaeretur quousque philologia erit inter mortales“.

Secundum Emperii illud de quaestione Homerica, cf. Mus. Rhen. I. 1841, pg. 447 = Opuscula philologica et historica, Gotting. 1847, pag. 147.

Prooemium.

Librorum, qui Hippocratis nomine circumferuntur, magna caterva non solum medicorum sed etiam philologorum crux re vera appellari potest: nam et praeceptorum ad medicinam pertinentium diversitate et generis dicendi discrepantiis iam antiquis temporibus plane perspectum est tum a medicis, tum a grammaticis — praecipue autem ab eis, qui utramque provinciam velut Erotianus et Galenus administrabant — horum opusculorum congeriem nullo modo ab unius eiusdemque auctoris manu exaratam esse, quae cognitio a recentioris aetatis viris doctis saepius atque iterum confirmata est. quantopere autem omnibus sciscitandi perscrutandique temporibus viri docti inter se dissederint, nulla alia re aptius illustratur, quam iudiciis de numero scriptorum, quae ut genuina dispescebantur ab adulterinis.[1] quod perpaucis exemplis demonstrare praefanti mihi liceat: ex grammaticis antiquis tres nominabo; Erotianum (a. 100 p. Chr. n.), qui triginta, Galenum (2. p. Chr. n. saeculo), qui tredecim, Palladium[2] (7. p. Chr. n. saeculo), qui undecim scripta Hippocrati ipsi attribuit; e

[1] de operum, quae in corpore Hippocratico insunt, vario genere cf. praestantem Ilbergii disputationem „Studia Pseudhippocratea“ diss. Lips. 1883.

[2] quibus causis nisus A. Gerckius in libello, qui „Gr. Littgesch. mit Berücksichtigung der Gesch. d. Wissenschaften“ inscribitur ([2]Lips. 1905) pg. 76 contendit: „Hippocrates . . . der mindestens 11 Schriften hinterlassen hat“ nescio: fortasse Palladii sententiam secutus est.

recentioribus sufficiat afferre Ermerinsium, medicum Batavum, et Littréum, virum doctum Francogallicum: ille quinque, hic quattuordecim libros medicorum principi concessit. sed tunc temporis iudicium ferre — ut ita dicam — multo facilius erat quam hodie: neque enim desperandi tamdiu periculum erat, quamdiu quivis, qui ad immensam commentationum Hippocratearum molem accederet, speraret fore, ut sibi contingeret, ut paleam a tritico diiungeret. sed hodie rem longe aliter se habere omnibus, qui etsi non penitus tincti, at certe leviter imbuti sunt eiusmodi disquisitionum studio, manifestum est. neque enim quisquam neve medicus, neve philologus hodie quoque putabit fieri posse, ut verum Hippocratem e scriptorum tam diversorum [1] caterva eliciamus. profiteamur hic necesse est Godofredi Hermanni illam „nesciendi artem ac scientiam". quam rem nunc a nemine iam velari iuvat: nam et medici [2] et

[1] de hac re audiamus medici iudicium: cf. Häser, „Lehrbuch der Gesch. der Med. u. der epidemischen Krankheiten" vol. I pg. 113 (Jena 1875): „ . . . nur wenige sind völlig vollendet und abgeschlossen; viele sind Auszüge und Bearbeitungen anderer noch vorhandener oder verlorener Schriften; andere sind Vorträge oder Entwürfe zu Vorträgen, wie schon aus der Erwähnung von Zuhörern sich ergibt; noch andere stellen Sammlungen von Notizen dar, die gar nicht zur Veröffentlichung bestimmt waren".

[2] cf. Neuburger, „Gesch. d. Med." Stuttg. 1906. vol. I pg. 174: „Vor dem Richterstuhl prüfender Kritik sind die Werke des Hippocrates nichts anderes, als die bunt zusammengewürfelte Arbeit von Generationen, das Geistesprodukt sehr verschiedener Verfasser, deren einzelne Stimmen nur der Zufall zu einem nicht immer zusammenklingenden Chor vereinigt hat." egregie totius quaestionis statum exposuit Pagelius („Einführung in die Gesch. d. Med." Berol. 1898) pg. 61: „Zur Entscheidung der Frage, welche Anschauungen Hippokrates persönlich vertreten hat, gibt die unter seinem Namen figurierende Schriftensammlung die einzige Handhabe: leider sind die Schlüsse, die wir daraus ziehen können, nur mangelhaft und mit grosser Vorsicht aufzunehmen, da wir über den Kernpunkt noch völlig im Unklaren sind; wir wissen nicht annähernd genau, welche Schriften dem Hippokrates selbst als von ihm verfasste und echte zukommen, und welche von anderen Autoren verfasst sind und nur unter seinem Namen

philologi [1] in hac re uno ore consentiunt; tamen non reticeam perpaucos homines eruditos [2] nondum desperasse de genuino Hippocrate eruendo: ea enim scripta, quae ut „ingeniosa" [3] — vide perversum illud iudicium! — facile segregantur a ceteris minutis ac levidensibus, Hippocrati attribuunt, nescientes se nihil firmi ad sententiam afferre, sed adumbratas imagines. nos autem quam acerrime stamus ab illis, qui medici Coï et praecepta et dicendi scribendique genus e libris memoriae proditis percipi posse praefracte negant.

Quae quamvis ita sint, tamen non inutile est philologum incumbere in dicendi usum atque rationem nonnullorum librorum Hippocrateorum; fuere quoque nonnulli, qui Ermerinsii invitationi obtemperarent (cf. praef. editionis vol. I pg. 9): „utinam philologi nobis medicis praesentes adsint et opem nobis praestent in veterum de arte nostra librorum recta interpretatione." quo studio, etsi ut commentationes et in genuinas et in spurias secernamus, nullo modo fieri potest, at certe alius fructus ab homine accurate investiganti demetitur: nam illa quaestione cognoscitur

gehen. Um diesem Dilemma zu entgehen, schalten wir besser die Person des Hipp. aus der Betrachtung aus."

[1] cf. O. Frederich „Hippocratische Untersuchungen" Berol. 1899 in: „Philologische Untersuchungen von Kiessling und v. Wilamowitz-Moellendorff" vol. 15 pg. 4: „Die Verfasser der Hipp. Schriften waren sicher Schüler und Nachfolger des Hipp.; denn dieser hat keine Methodik der ärztlichen Wissenschaft geschrieben, sondern nur einfach als echter Arzt gewirkt und durch Beispiel und Lehre andere fähig gemacht, es an ihrem Teil auch zu tun."

[2] cf. Häser l. l. pg. 112: „In den von Hipp. selbst herrührenden Schriften herrscht ein einfacher, klarer, aber der Eleganz keineswegs ... entbehrender Stil." cf. Christ. „Gesch. d. gr. Litt." [3] ([4] pg. 885) pg. 853: „Die hipp. Schriften sind an Gehalt und Stil sehr verschieden und rühren nur zum kleineren Teil von H. selbst her."

[3] velut R. Fuchsius (in: „Handbuch der Gesch. der Med." edd. M. Neuburger et Jul. Pagel. vol. I Jenae 1902) pg. 234, qui sic dicit de libri, qui est de aere, aquis, locis auctore: neminem dubitare, quin sit genuinus, „weil es die Genialität und Universalität des Vaters der Heilkunde am besten darstellt".

quam certissime duo aut tria scripta, quae tibi e magna congerie elegisti, aut ab eodem scriptore aut a plane diversis concepta esse. quae enim ex sive verborum electione sive modorum atque particularum usu concluduntur, sine dubio ad eiusmodi quaestiones diiudicandas impendi possunt. eo autem, quod evicta eiusmodi sententia illorum, quos segregavimus, scriptorum nomina afferre non possumus, quia hoc nobis in aeternum vetitum est, minime angimur: sufficiat enim, si quae omnibus adminiculis adhibitis erui possunt, demonstrantur.

Sed hoc fine non omne illorum studiorum lucrum comprehendimus: non solum de auctoribus aliquid certi elicitur, sed, quod non minoris momenti est, saepius ex paucorum scriptorum crebra lectione commodum percipitur ad singulorum librorum manuscriptorum scripturas contra aliorum virorum doctorum, qui studiis Hippocraticis se dederunt, sententias seu refellendas immutandasque, seu mordicus tenendas. ego quidem non negaverim me haec studia incohasse a textu nonnullorum librorum penitus perspiciendo; videbatur enim e re esse accuratius examinare, utrum novissimus Hippocratis editor Kuehleweinius semper in textus forma constituenda rem acu tetigisset an propter neglectum hic illic singulorum auctorum dicendi usum maculas textui aspersisset: quod saepius factum esse brevi tempore intellexi imprimis in rebus minutissimis. neque vitupero hunc editorem, quia, si editor talia in quamvis parvam voculam studia impenderet, ne Tithoni quidem aetas sufficeret ad unam editionem promulgandam. tamen hoc tantum abest ut alios impediat, quominus ad eiusmodi disquisitiones se vertant, ut eos impellat incitetque, ut illi fini ab editoribus saepius neglecto inserviant quam diligentissime. spero igitur meam commentationem etiam in hac re non ab omni emolumento vacuam futuram esse.

Quae postquam praefati sumus, ut unusquisque certior fieret, et qualis nunc esset status quaestionis Hippocraticae et quo consilio admoniti hanc disputationem susciperemus, ad argumentum ipsum propius accedamus.

Nihil recte sine exemplo docetur.

Columella, de re rust. l. XI c. 1
(ed. Gessner, vol. II pg. 414).

Pars I.

Tria mihi selegi scripta ex toto corpore Hippocrateo, libros de prisca medicina, de aere aquis locis, de praenotionibus, in quibus citandis his usus sum compendiis: p.m., a.a.l., praen. subieci autem commentationi meae Kuehleweinii editionem, quae apparuit in bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana,[1] cuius editionis in primo volumine continentur illa scripta; alias editiones suis locis adhibui.[2] atque locos, qui excerpendi erant, ita laudavi, ut inscriptione libri anteposita praeter caput paginam quoque eiusque versiculos exscriberem. his praemonitis priusquam ad res tractandas aggrediar, necesse est me accuratius exponere, quibus causis commotus ea ipsa scripta mihi ad investigandum exsumperim. nam apertum est libros, qui nimis diversa[3] continent, nullo modo idoneam disquisitionis materiam esse. possuntne igitur haecce, quae tractaturus sum, scripta esse ab uno eodemque auctore? estne aliquid similis atque concinni in illis? inveniunturne seu cogitationes seu dicendi formulae, quae unum eundemque scriptorem sapiunt quibusque hoc certe stabiliri potest illa scripta exarata esse certis temporibus certoque saeculo? nam si talia eruentur, eo firmior erit conclusio, eo solidior argumentatio, qua nonnullis et argumentandi et loquendi similitudinibus concessis illa omnia a plane diversis auctoribus concepta esse ostenditur: et possunt in illis opusculis indagari quaedam, quae cogitandi vicinitatem, quae certorum verborum communem usum comprobant.

[1] Lips. vol. I 1894, vol. II 1902.

[2] quae sint illae editiones, infra in appendice II notavi.

[3] cf. quae de hac re disputavimus in c. III huius partis (pgg. 27—30).

Caput I.

De argumentandi consonantia pauca afferemus, quia non tam historiae medicinali quam philologiae damus operam. communes sunt illis scriptis quaedam morborum descriptiones (velut p. m. c. 19. 22. 4—6. et a. a. l. c. 8. 45. 19—21; de p. m. c. 16. 18. 20 sqq. et a. a. l. c. 8. 44. 15 sqq.; p. m. c. 19. 22. 6 sqq. et praen. c. 23. 103. 4 sqq.), quae interdum ad verbum videntur expressae, communis etiam acuta atque severa et hominis et naturae observatio. unum tantum necesse est accuratius exponam, quia me in hac re a Kuehleweinio dissidere fateor. sunt enim, ut e loco certissimo egrediar, in libro de a. a. l. loci nonnulli, quibus haud ambigue auctor disputat contra illos, qui quemcumque morbum divina causa natum esse contendunt. sunt autem loci, qui verbotenus excerpendi sunt, hi: 1) c. 3. 36. 2—4. *τοῖσί τε παιδίοισιν ἐπιπίπτειν σπασμούς τε καὶ ἄσθματα καὶ ἃ νομίζουσι τὸ θεῖον ποιεῖν καὶ ἱερὴν νοῦσον εἶναι*[1]: h. l. sine ulla vituperatione de illo morbo loquitur: tamen ex verbo, quod est *νομίζουσι* satis auctoris de credulis hominibus iudicium cognoscitur. sed longe aliter duobus aliis locis disputat: 2) c. 22. 64. 12—18. 3) c. 22. 65. 20. priore loco loquitur de eo morbo virorum Scythicorum, quo secundum Homericum illud (λ 246) *φιλοτήσια ἔργα* impediuntur: *οἱ μὲν οὖν ἐπιχώριοι τὴν αἰτίην προστιθέασι θεῷ καὶ σέβονται τούτους τοὺς ἀνθρώπους . . . ἐμοὶ δὲ καὶ αὐτῷ δοκεῖ ταῦτα τὰ πάθεα θεῖα εἶναι καὶ τἄλλα πάντα καὶ οὐδὲν ἕτερον ἑτέρου θειότερον οὐδὲ ἀνθρωπινώτερον, ἀλλὰ πάντα ὁμοῖα καὶ πάντα θεῖα. ἕκαστα δὲ αὐτῶν ἔχει φύσιν τὴν ἑωυτοῦ καὶ οὐδὲν ἄνευ φύσιος γίνεται*[2]. altero loco disserit de mirifico illo, quod semper

[1] morbi sacri nomine appellari epilepsiam quam vocamus notum est.

[2] cf. Erotiani scholion (Vocum Hippocraticarum Collectio ed. Klein) pg. 8, quod haec verba immutata exhibet: *οἱ τὴν ἐπιληψίαν θεῖον οἰόμενοι εἰρῆσθαι οὐκ ἀνέγνωσαν τὸν ἄνδρα· ῥητῶς γὰρ αὐτὸς ἐνθάδε μέμφεται τοὺς θεόπεμπτον ὀνομάζοντας τὸ πάθος δι' ὧν φησιν· οὐδέν τί μοι τῶν ἄλλων νούσων δοκέει θειοτέρη εἶναι οὐδ' ἱερωτέρη, ἀλλὰ φύσιν ἔχει ἣν καὶ τὰ λοιπὰ νουσήματα.*

divites, quamvis deis inserviant sacrisque eos adorent, illo gravi morbo laborant; et quasi subridens adnectit hoc non iustum esse; honestius esset, si omnes Scythae simili modo pauperesque magis quam divites hoc malo aegrotarent: cuius argumentationis finem faciunt haec verba (pg. 66,8 sqq.): *ἀλλὰ γάρ, ὥσπερ καὶ πρότερον ἔλεξα, θεῖα μὲν καὶ ταῦτά ἐστιν ὁμοίως τοῖς ἄλλοις. γίνεται δὲ κατὰ φύσιν ἕκαστα.* secundum meam sententiam illud iudicium, quo communis opinio refutatur deos conferre posse ad hominum vel valetudinem vel aegritudinem etiam in duobus ceteris scriptis latet; nam in toto libello de p. m. conscripto frustra quaeras divini motus commemorationem, quamquam ille auctor varia morborum morbosorumque genera attulit: est igitur in hoc silentio si non omnibus, qui librum legebant, perspicua, at certe peritis iisque, qui subaudire sentiunt, manifesta illius stultitiae repudiatio.

Quomodo autem auctor libri de praen. de hac re iudicavit? si Kuehleweinium[1] et Haeserum[2] quaeras, longe aliter: illi enim viri docti autumant scriptori persuasum fuisse deos alicuius momenti esse in morbis; propterea medicus totum librum Hippocrati abnegavit, philologus audacter illud enuntiatum, in quo offendit, eiecit: tamen non ego huic rationi assentior. neque enim nisi gravissimae causae praesto sunt, id quod nostro loco non accidit, ita agere licet. sed quaenam est ista via, totum enuntiatum cancellis circumscribere, quod ab omnibus codicibus pariter tradatur! immo, alia methodo detrimentum sarcire nobis conandum est. sunt autem verba in suspicionem vocata haecce (c. 1 pg. 78. 18—79. 2): *γνῶναι οὖν χρὴ τῶν τοιούτων νοσημά-*

[1] cf. in praefatione prognostici (vol. I pg. 75): „sive est Hippocrates, sive alius, prorsus abhorrent haec a doctrina hoc libello explicata, ubi ne vocula quidem divinum illud olet, praeter haec verba, quae quam leviter sint interposita, in promptu manifestumque est, praesertim cum in extremo libro, ubi ex initio verba repetuntur, de divino nihil sit."

[2] l. l. I pg. 121: „Das Prognostikon erscheint nicht von Hipp., weil der Verfasser übernatürliche Krankheiten zulässt".

των τὰς φύσιας, ὁκόσον ὑπὲρ τὴν δύναμίν εἰσιν τῶν σωμάτων [ἅμα δὲ καὶ εἴ τι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νούσοισι] καὶ τούτων τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν. nemo eorum, qui ad id tempus de h. l. egerunt, satis mihi illud *εἰ* videtur perpendisse, nam omnes obliti sunt auctori, si certis verbis profiteri voluisset se causam divinam in morbis cognovisse aliter scribendum fuisse, fere in hunc modum[1]: *ἅμα δὲ καὶ τῶν θείων ἐν τ. ν. πρόνοιαν ἐκμ.* ille autem in enuntiato condicionali verba tam caute posuit, ut nemo neque medicus collega neque homo popularis, qui libellum in manu habebat, cognosceret aliquid dubii atque ancipitis in his verbis inesse: nam homini credulo extra omnem dubitationem erat deos hominibus omnium rerum, ergo etiam morborum, auctores esse. quod si conceditur, opus est nobis neque enuntiatum putum purum ab omnibus libris traditum eicere neque putare hunc medicum a ceterorum doctrina praeceptisque abhorrere. accedit quod in toto prognostico praeter unum hoc enuntiatum — credulorum hominum metu de consulto insertum — nusquam similem sententiam invenies, id quod mero casu accidisse nullo modo potest. perstamus igitur in sententia horum librorum scriptores plane inter se consentire in divina morborum causa contemnenda.

Caput II.

Priore capite egi de cogitationibus praeceptisque quibusdam consonantibus. nunc transeam ad nonnullas quaestiunculas artem grammaticam spectantes, e quibus praeter auctorum in quibusdam voculis adhibendis consensu hoc statim pellucebit esse illa scripta nata uno saeculo. hoc praemonere mihi liceat me interdum, cum de rebus grammaticis sermo erit, cogi, si non omnia, at

[1] sententiae meae adminiculo afferam me cum Pagelio, historiae medicinalis professore Berolinensi de illo loco collocutum esse: et concessit fieri posse, ut non perperam iudicarem; idem alio loco („Einführung in die Gesch. d. Med." pg. 64—65) tria illa scripta Hippocrati attribuit et non offendit in loco supra allato.

certe maximam partem eorum, quae ad usum dicendi illustrandum collegerim, fusius explicare atque explanare.

A. Initium faciam a vocabulo quod est *πρόφασις*. priusquam me vertam ad accuratiorem illius verbi descriptionem pauca anteponam de notione. vocula *πρόφασις* in quibusdam scriptoribus Ionicis, imprimis in iis, qui fuere et quinto saeculo et quinti quartique saeculorum cardine, significat idem atque in scriptoribus Atticis *αἰτία*: semper autem hoc respicias non plane deesse hanc voculam in scriptoribus Ionicis. itaque legitur interdum in his quoque, quae mihi selegi, scriptis. tamen multum delectationis fit ei, qui in illius verbi usum in singulis libris corporis Hippocratei obvium accuratius inquisiverit. primum enim cognoscet — id quod adhuc nullus eorum virorum doctorum, qui in studia grammatica ad Hippocratem pertinentia incubuerent intellexit — libros hac vocula observata dividi posse in maioris atque minoris aetatis. nam quo diutius totam viam transmigraveris, eo saepius invenies vocis *πρόφασις* usum vinci a voce *αἰτία*, qua re mihi demonstrari videtur in compluribus scriptis Hippocraticis componendis multum ponderis habuisse dialectum Atticam. sane multa scripta ob eam causam huc non pertinent, quia in iis sive *προφάσιος* sive *αἰτίης* ullum vestigium frustra quaeres; sunt autem libri hi:[1] Epid. I. III, de cap. vuln.; de off., de salubri victu; de humoribus; de liquidorum usu; de affectionibus; de vulneribus; de haemorrhoidibus; de fistulis, de octimestri partu; de genitura; de morbis virginum; de morbis mulierum l. II; de embryonis excisione; de anatomia; de glandulis; de dentitione; de musculis; de visu. saepius atque iterum vocem *πρόφασιν* invenies in ll. de p. m., de a. a. l., de praen., denique in ll. de fractis, de articulis. quo autem longius progressus es, eo rarius illam vocem indagabis. immo sunt multa

[1] hoc moneam me semper et hic et aliis locis in singulis libris Hippocraticis citandis secutum esse Haeserum et Lindemannum, quorum ille in singulis paragraphis inscriptiones Latinas librorum commemoravit, hic in scriptorum Hipp. indice iuxta inscriptiones Graecas versionem Latinam posuit.

scripta, in quibus vocabulum *αἰτία* solum regnat, velut in libris, qui inscribuntur vectiarius, de arte, de flatibus, de morbis ll. I—II, de locis in homine, de morbo sacro, de diaeta, de internis affectionibus, de septimestri partu, de natura mulieris, de natura pueri, de morbis mulierum l. I, de sterilibus, de superfoetatione, de alimento, de habitu decente: quibus scriptis opponi possunt nonnulla ubi sola vocula *πρόφασις* locum obtinet, velut in l. de victu in acutis et in prognostico. sed etiam in fine editionis Littréanae extant nonnulla scripta, ubi, quamquam ex aliis rebus intellegitur ea minoris aetatis esse, *πρόφασις* antiquiore sensu locum habet, velut in libro secundo praedictorum, in l. de corde, in l. de medico. quantopere autem illi libri in vocula adhibenda differant, numeris optime illustratur: sed observandum est me, quia ad id plurima scripta ex vasto Littréi thesauro nobis expromenda sunt, paginas secundum illius viri docti Francogallici editionem afferre. continentur sexaginta sex paginis liber de p. m., octoginta l. de praen., octoginta l. de a. a. l.; inveniuntur autem vocis *πρόφασις* tria exempla in l. de p. m., septem in l. de a. a. l., tria in l. de praen. longe aliter autem alibi res se habet; in l. secundo praedictorum, qui septuaginta paginas complectitur, unum, in ll. praed. II, de corde, de medico, qui coniuncti nonaginta septem paginas efficiunt, tria leguntur exempla. invenitur igitur in his scriptis, quae finem faciunt editionis Littréanae, quamquam omnibus paginis computatis illi tres libri septendecim paginis ampliores sunt quam liber de a. a. l. solus, quattuor exemplorum minor numerus. hoc modo calculis subductis clarius quam aliis demonstrandi rationibus ostenditur primum, quantopere et dissideant librorum singulorum auctores in voculis eligendis et quantopere distent temporibus.

Necesse est nos, priusquam accuratius demonstremus, qualis fuerit illorum vocabulorum in his libris, de quibus peculiarem quaestionem instituimus, usus, exponere, quae sint diversae eorum notiones. primum — ordiar ab iis locis, qui sunt rariores — *πρόφασις* pro *αἰτία* legitur, si scriptor

morbi causam indicat, deinde — id quod saepius accidit nobisque, ut mox apparebit, maioris momenti est — usurpatur coniunctum cum praepositionibus *διά, ἀπό, ἐκ, ἐπί* aliis, simili modo atque apud Atticos scriptores *διό, διὰ τοῦτο* (.., *ταῦτα*), *διότι*. quid autem proprii intersit inter *αἰτίαν* et *πρόφασιν* leviter tantum perstringamus: notum enim est, quantopere laboremus, cum certiores nos facere velimus de Graecae linguae verbis cognominatis; si Schmidtii,[1] quo de eiusmodi rebus agitur, librum consulueris, parvum vel potius nullum fructum percipies; nam quod de illorum verborum differentia protulit nobis ne minimum quidem prodest: tamen excerpsimus, ut esset ab hac parte plenior atque rotundior commentatio. sunt autem haecce: vocem *πρόφασιν* non novit nisi cum significat[2] „einen Einwand, den man vorschützt, um dadurch den wahren Sachverhalt zu verdecken“, quam definitionem nimis angustam artamque esse nulloque modo illius vocabuli latae variaeque significationi sufficere, nemo non ignorabit. aliquanto incertius circumscripsit notionem *αἰτίας*:[3] „wissenschaftliche Zurückführung auf eine bestimmte Sache“. multo accuratius de illorum vocabulorum discrimine egit Weberus;[4] tamen is quoque, cum nimis vacillet neque distincte notiones describat, non multum lucis rei attulit. postquam enim satis acuminis impendit *πρόφασιν* definiens ut „Vorwand, Ausrede, Veranlassung, Ursache, Grund“, quibus notionibus suppositis longius procedit dicens *πρόφασιν* esse etiam „Vorbringen einer Aussage“, „der aus Umständen, Verhältnissen sich ergebende Anlass“, *αἰτίαν* significare „Verantwortlichkeit, Urheberschaft“, denique „dauernde Abhängigkeit einer Erscheinung von einer durch ihr Wesen wirkenden Person oder Sache“, ipse tam parvum lucrum ex istis definitionibus sibi assumpsit, ut fateretur interdum et *πρόφασιν* et *αἰτίαν* eodem sensu

[1] I. H. Schmidt, „Synonymik der griechischen Sprache“. 4 vol. ps. 1876—86.
[2] cf. ll. vol. III pg. 250.
[3] l. l. vol. I pg. 151.
[4] cf. Philologus vol. 56 (1897) pg. 224—225.

adhiberi posse.[1] si ipsi aliquid sentimus non opus est eiusmodi spinosis intricatisque definitionibus, cum omnibus locis, ubi legitur tale aliquid velut *ταύτης τῆς νούσου πρόφασις, διὰ ταύτας τὰς προφάσιας* eodem iure scribi possit *αἰτία*: neque enim, in Hippocrate quidem, fieri potest, ut clare et distincte definiatur, quid inter duo illa verba proprii intersit.

Est autem voculae *πρόφασις*, nam de hac sola agemus, quia ex voce *αἰτία* nihil ad rem cognoscitur, in his quoque scriptis duplex usus: primum coniungitur cum nomine cuiusvis morbi, deinde ponitur cum certis praepositionibus conexa. in omnibus tribus libris ista quam modo attuli significatio latius patet, nam tam crebro invenitur, ut tum, cum in libris manuscriptis extat lectionum discrepantia inter *πρόφασιν* et *αἰτίαν*, semper propensi et sumus et esse debemus *πρόφασιν* voculae *αἰτία* anteponere.[2] quin etiam aliquanto audaciores sumus: etiam si codices in vocabulo *αἰτία* tradendo consentiunt, tum, cum *αἰτία* cum praepositione copulata legitur, praeferenda est *πρόφασις*. hoc afferam exemplum: in l. de p. m., ut ex testimoniis collectis brevi apparebit, nullo alio loco atque in c. 20. pg. 24. 18 *δι' οἵας αἰτίας* uno ore traditur; hic iure ac merito *αἰτίας* expungemus, *προφάσιας* ponemus. hoc addam me semper in re critica factitanda fulciri sola illius scriptoris, cuius locum singulum correcturi sumus, dicendi consuetudine: nam errant, qui ex aliis scriptis exempla afferunt iisque sententiam stabilire velint: his adminiculis cautissime tantum utendum est, quia plane alius scriptor esse potest atque is, quam in manibus habemus. sed tum demum unicuique liberum iudicium patet, si collectis omnibus quae inveniuntur locis singulorum librorum in hac re consensus plane perspicitur: qua in re exempla ita dispescam, ut primum, eaque non multa, afferam illa, ubi *πρόφασις* cum genetivo quorundam morborum vel alio modo

[1] l. l. pg. 234.

[2] velut in p. m. c. 16. 18. 10. ubi codex A *αἰτίας*, M *προφάσιας* exhibet.

cum morborum nomine coniungitur,[1] deinde illa, ubi cum praepositionibus coniunctum invenitur; haec sunt quae in promptu habeo:

P. M. 1) nullum extat exemplum.

2) c. 2. 3. 1. *δι' οἵας προφάσιας.* c. 16. 18. 10. *διὰ τάσδε τὰς προφάσιας.* c. 22. 29. 10. *διὰ ταύτας τὰς προφάσιας.*[2]

A. A. L. 1) c. 4. 37. 9—10. *ἔμπυοί τε πολλοὶ γίνονται ἀπὸ πάσης προφάσιος.* c. 10. 51. 7. *φαγεδαίνας κίνδυνος ἐγγίνεσθαι ἀπὸ πάσης προφάσιος.* c. 21. 63. 23. *τοῖσι μὲν ἀνδράσιν αὗται αἱ προφάσιες γίνονται* (sc. *τῆς ἀσθενείας ἐς τὴν μεῖξιν*). c. 22. 66. 10. *ἡ . . . νοῦσος ἀπὸ τοιαύτης προφάσιος . . . γίνεται.*

2) c. 15. 57. 10. *διὰ ταύτας . . . τὰς προφάσιας.* idem legitur duobus aliis locis, velut c. 16. 58. 12. et c. 22. 66. 17.

Praen. 1) c. 18. 98. 11. *δύσπνοος . . . γενόμενος ἄτερ φανερῆς προφάσιος.*

2) c. 2. 80. 2. *διὰ ταύτας τὰς προφάσιας.* c. 24. 104. 21. *διά πρόφασιν ἄλλην.*

His exemplis perspectis iam aliquid discriminis inter illos libros cognoscitur: nam primum *πρόφασις* aliquo modo cum morbis coniunctum saepius legitur in l. de a. a. l. perraro in l. de praen, nusquam in l. de p. m., deinde *πρόφασις* coniunctum cum praepositione *ἀπό*[3] proprium est l. de a. a. l., in ceteris scriptis semper *διά* adhibetur.[4]

[1] genetivus perraro legitur: mihi quidem non contigit, ut praeter unum exemplum (de artic. c. 41. pg. 165. 12. = K. vol. II) *ἡ πρόφασις τοῦ κυφώματος* aliud invenirem.

[2] in l. de p. m. c. 3. 4. 16. haec leguntur in codicibus Marciano (M) et Parisino (A): A *διὰ ταύτην τὴν αἰτίην*, M *διὰ τ. τ. χρείην.* h. l. praefero cod. Marciani scripturam, quia *αἰτια* cum *διὰ* copulata non invenitur; cum *χρείην*, id quod haud dubie significat „zwingender Grund" optime comparatur alius eiusdem libri locus c. 2. 2. 17. *δι' ἃς δὲ ἀνάγκας ἀδύνατον.* cf. etiam a. a. l. c. 19. 62. 10. *διὰ ταύτας τὰς ἀνάγκας.*

[3] quae propositio, quantum video, in omnibus reliquis libris semel invenitur (de artic. K. II. c. 50. 187. 20.) *σφακελισμοὶ ἀπὸ τοιούτων προφασίων.*

[4] quae forma alibi quoque persaepe legitur, rarius aliae prae-

Non mihi videbatur inutile illi expositioni addere, quomodo Aretaeus Cappadox, quem linguae Hippocrateae imitatorem fuisse nemo est quin sciat, eiusmodi locos tractare soleret: sed ne nimis accresceret haec opusculi pars omnibus illius medici operibus perlectis exemplisque excussis satis habui, ex quattuor commentationibus,[1] quas composuit quaeque omnes e binis libris constant, unum, modo primum, modo secundum, sine ullo certo delectu librum perspicere. haec sunt quae inveni: nullum iam exemplum legitur, ubi Aretaeus *πρόφασιν* aliquo modo cum morbis componit; si talia inveniuntur, et exstant haud rara exempla, semper *αἰτία*[2] usurpatur. sed altera quoque constructionis forma, vocula *πρόφασις* cum praepositionibus conexa, perraro legitur.[3] qua ex disquisitione luce clarius apparet, nihil

positiones velut *ἐπί* (de fractis c. 33. pg. 98. 12. K. II.) *ὑπό* (de artic. c. 10. 126. 12.), *ἐξ* (de praedictis Li. IX. c. 24. pg. 53. 13.).

[1]) sunt autem hae: de causis et signis acutorum morborum; de curatione ac. morb.; de c. et sign. diuturnorum morb.; de curatione diut. morb.

[2] I. de c. et s. ac. morb. l. I. c. 6. 7. 5. *ψῦξις γίνεται αἰτίη* (sic falso accentu Kuehnius med. gr. opera vol. XXIV); nam recta forma est *ψύξις*. hoc etiam contra Lobeckium valet, qui in Paralip. gramm. gr. (Lpz. 1837) pg. 409—410 in suspenso relinquendum esse docet, utrum *υ* longa in brevem mutari possit necne. sed etiam Kuehleweinius uno loco falsum accentum posuit: de p. m. c. 16. 19. 23: *ψῦξις νενικωτάτη*; simili modo *ξύσις* scribendum est in l. de cap. vuln. c. 14. 19. 19. K. II., ubi K. *ξῦσις* scripsit) c. 6. 7. 13. *αἰτίη γὰρ ψύξις*. II. de cur. ac. morb. l. II. c. 5. 271. 12. *ἢν φλεγμασίην αἰτίην εὕρηται*. III. de c. et. s. diut. morb. l. I. c. 2. 70. 13. *αἰτίη δὲ ψύξις*. c. 4. 74. 3. *καὶ τοῖσδε αἰτίη ψύξις*. c. 5. 76. 1. *ἡ αἰτίη ἀμφὶ τὰς φρένας εἰλέεται*. c. 6. 79. 2. *μανίη . . . ξηρὸν τῇ αἰτίῃ*. c. 6. 81. 15. *τὴν αἰτίην τοῦ νοσήματος*. c. 7. 86. 12. *ἴση μὲν γὰρ ἡ προσίζουσα αἰτίη*. c. 7. 87. 4. *αἰτίη τῶν νεύρων ἡ ἐναλλαγή*. c. 7. 89. 1. *αἰτίαι δὲ παρέσιος μὲν ἕξ*. c. 9. 96. 8. *αἰτίαι ξυναὶ ἁπάντων*. pg. 97. 1. *αἰτίη δὲ φλεγμασίη*. c. 10. 102. 11. *αἰτίη δὲ ψύξις*. c. 10. 101. 1. *αἰτίη καὶ αἱμορροΐδων ῥόον ἐπίσχεσις*. IV. de cur. diut. morb. c. 11. 329. 1 . . . *αἰτίῃ κ. διαθέσι*. c. 2. 230. 3. *ἀγαθὸν ἡ λύσις τῆς αἰτίης*. c. 5. 334. 2. *τήν γονόρροιαν πάντων κακῶν οὖσαν αἰτίην*.

[3] semel inveni in l. de c. et s. diut. morb. c. 4. 73. 4. *δι' ἄλλας προφάσιας*.

lubricius illecebrosiusque esse quam illa de singulorum auctorum dicendi ratione iudicia, quae in usitatis istis libris historiam Graecorum litterariam tractantibus pervulgantur. quam non in hac quidem re Hippocratem imitetur, exempla docent. hoc tantum veri in illa sententia inest: imitari Aretaeum Hippocraticorum librorum dialectum; nam quominus significetur severus dictionis Hippocraticae imitator, temporum spatio impeditur: eo enim tempore fuit, ubi in tota Graecia regnabat illa dialectorum et Ionicae et Atticae commixtio, quam voce *κοινή* appellare consuevimus, i. e. secundo p. Chr. n. saeculo.

Vidimus ex his quae modo tractavi tria illa opuscula conspirare in vocabulo, quod est *πρόφασις*, largiter adhibendo: tamen propterea non desunt loci, ubi etiam *διό*, *διὰ τοῦτο* similia leguntur. quia haec quaestio aliquo modo cum ea, quam absolvimus, consonat, e re videtur esse quam brevissime singulorum scriptorum in hac re consuetudinem ostendere. necessarium enim est ad diluendam illam opinionem, in quam perfacile is, qui numquam Hippocratem legit, incidere potest, voce *πρόφασις* exstingui alia vocabula, quae causalem vim habent. simul iuvat in hanc rem inquirere propterea, quia *ἕρμαιον* fit illi, qui necopinatus huc accessit: nam primum aliquid dissimilitudinis repperimus in illis tribus opusculis, cum in l. de praen. semel, in ceteris saepius legatur, qua differentia fortasse postea ad alias adducimur; nam si sola maneret, non multum ponderis haberet; deinde calculis subductis denuo demonstrari potest, quantum distent haec opuscula ab aliis immensae catervae libris quantopereque illis aetate antecedant. nam haud dubie illa scripta maioris aetatis sunt, in quibus illae formulae rariores sunt quam *πρόφασις* cum praepositione *διά* coniunctum. sufficiat hic quam brevissime finem disquisitionis indicare, ne nimis exspatiemur; nudis numeris aptius quam longa disputatione ostendi potest, quam non usurpetur in his libris praepositio *διά* cum pronominibus coniuncta, si eos conferas cum iis, qui finem faciunt editionis Littréanae.

I. **P. M.** a) διὰ τοῦτο: c. 12. 13. 6; c. 14. 16. 13; b) διὰ ταῦτα: c. 2. 3. 7; c) δι' αὐτὸ τοῦτο: c. 16. 18. 17.

II. **A. A. L.** a) διὰ τοῦτο: c. 23. 68. 1; b) διὰ ταῦτα: c. 8. 44. 22.

III. **Praen.** διὰ τοῦτο: c. 22. 102. 18.

vide quam rara exempla! sed si comparandi causa librum de carnibus (Li. VIII. pgg. 584—614) inspexisti, mirum quantum rem se mutasse cognosces. hic enim διὰ τοῦτο decies, διὰ τόδε bis legitur. itaque, si hi quattuor libri componuntur, ratione subducta in tribus illis, quos tractaturus sum, non tot exempla leguntur, quot in uno illo libro de carnibus. nam hic habemus duodecim, illic sex exempla. quae comparatio aliquanto gravior fit, cum singulorum librorum circuitum respicimus: l. de p. m. continetur (in editione Littréana) sexaginta sex, l. de a. a. l. octoginta, l. de praen. octoginta, l. de carnibus triginta paginis: en habes in triginta paginulis dimidio maiorem exemplorum numerum quam in illis omnibus ducentis viginti sex! quivis autem his siccis numeris perceptis intelleget, quantopere in nonnullis libris Hippocrateis linguae Atticae formae priscas illas Ionicas superaverint: quae demonstratio confirmatur ea re, quod l. de carn. inest in numero eorum scriptorum, ubi vocem πρόφασιν hoc modo usurpatam frustra quaeras.

B. Venio nunc ad aliam quaestionem, quae ad illustrandam illorum scriptorum dicendi consuetudinem non minoris momenti est quam illa, quam modo absolvimus: agam enim de vocabuli γνώμη et significatione et usu.

γνώμη multas habet notiones: significat enim sententiam, opinionem, notitiam, consilium, animum, ingenium, mentem. sed priscis linguae Graecae temporibus et apud Atticos et apud Ionicos scriptores vocabulum γνώμη saepius eo sensu usurpatur, ut secundum I. Bernaysium[1]

[1] cf. Ges. Abhdlgen vol. I. pg. 87. (= Mus. Rhen. IX. 255.): sed idem vir doctus iam in dissertatione, quae „Heraclitea" inscribitur, γνώμην Latine rationis vocabulo convertit, vid. „Ges. Abhdlg." I. pg. 8.

significet „die absolut gefasste Intelligenz" non sicut postea maxime „die von jemandem gehegte Ansicht und Gesinnung". notum est Th. Gomperzium huius usus cognitione commotum esse, ut librum, qui de arte (π. τέχνης) inscribitur quique inest in corpore Hippocratico, Hippocrateo cuidam medico abrogaret attribueretque Protagorae sophistae,[1] qua re simul contenditur, hunc librum confectum esse quinto a. Chr. n. saeculo: quomodocumque haec res se habeat diiudicare nostrum non est. sed multum ponderis habet vocabulum γνώμη eadem notione atque Bernaysius primum definivit Gomperziusque longius exposuit[2] scriptum inveniri in ll. de p. m. et de a. a. l.; in prognostico deest, fortasse ob eam causam, quia nusquam occasio erat illius vocabuli usurpandi: sed hac re non angimur, quod hunc librum in vocula πρόφασις adhibenda cum ceteris consonare supra intelleximus. his expositis omnia quae collegi exempla huius notionis afferam: non sunt ea multa, sed sufficiunt ad demonstrandum aliquid concinni inesse in his, quae selegimus, scriptis:

I. **P. M.** c. 1. 1. 19. *οἱ δημιουργοὶ πολλὸν ἀλλήλων διαφέρουσιν κατὰ χεῖρα καὶ κατὰ γνώμην.* c. 10. 11. 9. *βαρέες καὶ νωθροὶ καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν γνώμην.*

II. **A. A. L.** c. 16. 58. 10. *αἱ γὰρ μεταβολαί εἰσι πάντων αἱ ἐπεγείρουσαι τὴν γνώμην.* c. 16. 59. 3. *ἀποτρέπεσθαι τὴν γνώμην ὑπὸ τῶν νόμων.* c. 23. 67. 15. *αἱ γὰρ ἐκπλήξιες πυκναὶ γινόμεναι τῆς γνώμης τὴν ἀγριότητα ἐντιθέασι.* c. 24. 69. 15. *ἀνανδρότεραι δὲ καὶ ἡμερώτεραι αἱ γνῶμαι.*

Si quae his duabus disquisitionibus effecta sunt paucis comprehendamus, haec erit summa: auctores librorum de p. m., de a. a. l., de praen. simili modo duo voca-

[1] cf. „S. Ber. d. K. Akad. d. Wiss. zu Wien, philos.-histor. Classe" vol. CXX. a. 1889 in opusculo, quod „Die Apologie der Heilkunst" inscribitur.

[2] cf. l. l. pg. 7; pg. 167. ann. 2.

bula eo qui est Graecitatis antiquioris proprius sensu usurpavere, *πρόφασιν* et *γνώμην*. his simul refutatur sententia quam Schneiderus[1] in fine commentationis suae posuit: „addo l. de a. a. l. tanta non solum argumenti sed etiam dicendi generis esse proprietate, ut vix ullum ex tota collectione Hippocratea scriptum cum eo comparari possit". si hoc addidimus vocem *πρόφασις* eodem sensu et apud Herodotum,[2] vocabulum *γνώμη* item a scriptoribus historicis, velut a Thucydide,[3] et a philosophicis, velut ab Heraclito[4] adhiberi, non nimis audaces videbimur, si tria illa scripta concepta esse quinto a. Chr. natum saeculo contendimus. huic sententiae adminiculo afferam iudicium virorum quaestionis Hippocraticae peritissimorum; audiamus et medicum et philologum: Haeserus[5] concessit plurimos congeriei Hippocrateae libros scriptos esse temporibus Hippocratis ipsius, a sectatoribus illius „senis Coi";[6] Gomperzius[7] iudicavit nullam partem collectionis Hippocraticae, exceptis perpaucis libris, aliis temporibus conceptam esse quam quinto saeculo ad quartum vergente. itaque, cum nobis e nonnullis similitudinibus, quae inveniuntur in quibusdam vocabulis eisque gravissimis usurpandis, contigit, ut, qua aetate illa scripta

---

[1] Quaestionum Hippocratearum specimen, Diss. Bonnae 1885. pg. 27.

[2] hic *πρόφασις* saepius causam significat velut I. 29. *θεωρίης πρόφασιν ἐκπλώσας* et VII. 23. *διὰ πρόφασιν τοιήνδε*; rarius praetextum vel rem fictam vanamque, quae significatio apud Xenophontem sola est, cf. Anab. I. 2. 1. *τὴν μὲν πρόφασιν ἐποιεῖτο ὡς Πισίδας βουλόμενος ἐκβαλεῖν* et Hellen. III. 5. 5. *οἱ Λακεδαιμόνιου ἔλαβον πρόφασιν στρατεύειν ἐπὶ τοὺς Θηβαίους.*

[3] cf. I. 70. 6. *ἔτι δὲ τοῖς μὲν σώμασιν ἀλλοτριωτάτοις ὑπὲρ τῆς πόλεως χρῶνται, τῇ δὲ γνώμῃ οἰκειοτάτῃ ἐς τὸ πράσσειν τι ὑπὲρ αὐτῆς.*

[4] exempla collegit Bernaysius „Ges. Abhdlg." vol. I. pg. 8.

[5] l. l. vol. I. pg. 112.

[6] lepidum hoc cognomen ei addidit Kuehleweinius in diss. pg. 2. (Observatt. de usu particularum in libris, qui vulgo Hipp. nomine circumferuntur Gotting. 1870).

[7] cf. „Gr. Denker"[2] (Lpz. 1903) vol. I. pg. 227. non aliter Frederich l. l. pg. 11.

concepta essent, enodaremus, non aliquid parvi nos eruisse credimus. nam recte Gerckius[1] iudicavit dicens: „eine genaue Datierung würde, wenn sie erreicht werden sollte, uns die vollständigen Akten in der blühendsten Schule für fast 2 Jh. liefern"; cui muneri omnes possunt se dedere, qui utcumque corpori Hippocratico dant operam.

Antequam ad aliam quaestionis partem transeam paucis mihi liceat adumbrare, quomodo alia corporis Hippocratei scripta se habeant, si vocabulum *γνώμην* spectas. quamquam enim talis disquisitio non plane mihi ad ea, quae demonstranda sunt, necessaria est, tamen eam legenti aliquid lucri praebituram esse spero.[2] ad huius voculae usum illustrandum perlegi quindecim scripta sine ullo delectu exprompta; exempla ipsa, ne nimis accresceret commentatio, afferre desii. haec sunt quae repperi: tria extare videbit librorum genera siquis illius voculae usum disquisiverit: primum est illud, ubi utramque notionem et „mentem" et „sententiam" expressam invenies, velut ll. de a. a. l., p. m., de victu in acutis, de articulis; alterum illud, ubi sola antiquior illa significatio regnat, quae est mens, saepius — id quod etiam supra (pg. 21) commemoravimus — graviter praedicata vocabulo *σῶμα* opposito: velut ll. de fractis, de arte, de morbis, de affectionibus, de morbo sacro, de praedictis I et II, de corde; tertium illud, ubi recentior vis sola usurpatur, velut ll. de capitis vulneribus, de musculis, de natura hominis: tamen semper in suspenso relinquendum est, utrum hoc fortuito an de industria factum sit. praeterea, si hoc solum est, sive *πρόφασις* sive *γνώμη* antiquo sensu usurpata, unicuique cavendum esse puto, ne audacia atque temeritate impulsus librum quendam ei saeculo attribuat, quo propter alias dicendi formas

---

[1] „Gr. Litt. Gesch."[2] pg. 76.

[2] fortasse nescioquis ea re adducitur, ut huius voculae diversas notiones, postquam certum temporum spatium certosque auctores sibi selegit, singulari opusculo tractet: nam quae disputata sunt in Henrici Stephani Thesauro linguae graecae vol. II. inde a pg. 674 ad 680 (edit. nov. Paris. 1833) non iam sufficiunt.

nullo modo natus esse potest. nam perfacile medicus nescioquis, qui quaecumque scripta corporis Hippocratici prae se habebat, imitandi studio incitatus vel hoc vel illud ad verbum expressum suo stilo immiscere potuit. tamen, si hoc evenit, semper aliquo modo cognosces librum minoris aetatis esse, quia semper medico recentiori recentior quoque loquendi usus propior est quam illae priscae formae, quae quasi calce oblitae primo impetu abstergi possunt. exempli causa hoc afferam: si quis in aliquo scripto unum alterumve illorum priscorum verborum vigere intellexit, contra idem libellus formulis velut *διὰ τοῦτο* sim. quasi redundat: tum certissimo signo perspictur opusculum esse recentius quam primo obtutu videbatur. sicut antea (p. 18sq.) Aretaeum longe abhorrere ab Hippocraticorum medicorum dicendi consuetudine commemoravimus, qui nihilominus *γνώμην* antiquiore sensu saepius adhibuit, ut decem exemplis infra collectis ostenditur.[1]

C. Huius capitis finem faciat dicendi quaedam proprietas, quae accurata contemplatione est dignissima, dico verborum repetitionem. est enim antiquioris Graecitantis proprium, id quod ex Herodoto[2] et Thucydide[3] imprimis cognoscitur, verba, quae modo allata sunt quaeque ob eam rem nemo non in memoria tenet, denuo repetere: qua in re hominum antiquorum elocutio vehementer

---

[1] cf. de cur. ac. morb. c. 11. 288. 15. *προσεκμαίνονται δὲ καὶ τὴν γνώμην.* c. 11. 288. 18. *εὖτ' ἂν σφισι ἡ γνώμη τελέως μίμνῃ.* c. 11. 289. 3. *ἐς νάρκην τῆς γνώμης.* cf. de c. et s. diut. morb. c. 5. 74. 12. *συντρέπει δὲ καὶ τὴν γνώμην.* c. 5. 77. 4. *πολλοῖσι δὲ εἰς ἀναισθησίην καὶ μώρωσιν ἡ γνώμη ῥέπει.* c. 5. 78. 8. *καθίσταται τὴν γνώμην ἔρωτι ἰητρῷ.* c. 6. 79. 1. *γνώμης νάρκωσις.* c. 6. 81. 10. *ὧδε εἶχε γνώμης.* c. 6. 81. 15. *τῆς γνώμης ἡ ἀμβολή.* c. 6. 84. 12. *ἀμφοῖν ἐστι ἔκλειψις κοτὲ καὶ γνώμης.*

[2] cf. l. I. 1. 2.: *τούτους . . . ἐσαπικνέεσθαι καὶ δὴ καὶ ἐς Ἄργος. τοῦτον τὸν χρόνον προεῖχε ἅπασι τῶν ἐν τῇ νῦν Ἑλλάδι καλεομένῃ χώρῃ. ἀπικομένους δὲ τοὺς Φοίνικας ἐς δὴ τὸ Ἄργος . . .*

[3] cf. V. 31. 2. *πόλεμον γὰρ γενομένον ποτὲ πρὸς Ἀρκάδων τινὰς Λεπρεάταις καὶ Ἠλείων παρακληθέντων ὑπὸ Λεπρεατῶν ἐς συμμαχίαν . . . Ἠλεῖοι τὴν γῆν νεμομένοις αὐτοῖς τοῖς Λεπρεάταις τάλαντον ἔταξαν . . .*

abhorret a recentiorum scriptorum scribendi genere: nos enim quam diligentissime studemus, ut eiusdem verbi repetitionem non solum in eodem enuntiato, sed etiam in eodem capite, si ullo modo fieri potest neque eiusmodi iteratio numero oratorio, quem vocamus, flagitatur, vitemus. cui stili severitati nos indulgere sophistis, imprimis autem Isocrati, rhetorum principi, debetur.[1] quae dicendi proprietas in omnibus his scriptis simili modo eademque crebritate invenitur. sunt autem repetitiones eius generis, ut interdum substantivum iteretur, ubi scriptor satis habuisset, si pronominibus id excepisset. manifestum est eos locos non afferendos esse ubi, quia unum vocabulum extat, cum pluribus alternandi potestas non datur; a quibus ii rursus loci segregandi sunt, ubi idem vocabulum repetitum sine ullo impedimento abesse potuit. sed piget referre omnia

---

[1] cf. quae Radermacherus disputavit in censura, quam de Euripide Weckliniano promulgavit (G. G. A. 1899. pg. 718): „Die ganz Alten haben solche Peinlichkeit nicht gekannt, Künstelei im Wechsel des Ausdrucks ist erst ein ziemlich spätes Produkt gorgianischer Schule und bei Griechen und Römern nie recht durchgedrungen.“ artium scriptores etiam quarto a. Chr. n. saeculo scripta sua technica numquam calamistris inussisse docet Aeneae Tactici exemplar, cuius in poliorcetico saepius idem verbum in una paragrapho sine ulla necessitate repetitur, velut in c. 22. §. 5 (pg. 52 Hercher): *φυλάσσειν καὶ ἅμα πολλούς. ἐν γὰρ τῷ δι' ὀλίγου φυλάσσειν ἥκιστ' ἂν . . . δύναιτό τις πρᾶξαί τι πρὸς τοὺς πολεμίους . . . ἧττόν τ' ἂν ὕπνος ἐγγίγνοιτο διὰ βραχέος φυλασσόντων, τῷ τε πολλοὺς ἅμα φυλάσσειν μᾶλλον ἂν δύναιτο ἐκφερομυθεῖσθαί τι . . . ἐὰν δὲ ὀλίγοι . . . φυλάσσωσιν . . .* et in c. 37. § 1. (pg. 106 H.) *. . . χρὴ τάφρον ὀρύσσεσθαι, ὅπως εἰς τὴν τάφρον τὸ ὑπόρυγμα ἀφίκηται . . .* sed posteris quoque temporibus non omnes illi legi, quae stilo politiori inserviebat, se subiecerunt; nam illi auctores, qui utcumque in artibus versabantur, saepius ab omni dicendi lactea ubertate se abstinuerunt et sicce sobrieque disputaverunt. suggessit nobis exemplum Claudii Ptolemaei memoria, qui fuit ea aetate, quae summa elocutionis elegantia inter ceteras eminet, Alexandrinorum dico: cf. geogr. l. I. c. 22 Nobbe (vol. I. pg. 45, 1—2; vol. I. 1. pg. 55. 23—26 Mueller) *ἐπὶ τὴν τὸν ἀριθμὸν περιέχουσαν τοῦ ἰσομερινοῦ τομὴν, τὴν δὲ κατὰ τὸ πλάτος ἀπὸ τοῦ ἰσομερινοῦ διάστασιν . . . λαμβάνοντες.*

exempla, quamquam collegi, neque opus est sufficiat igitur ex illis opusculis terna exempla eaque optima attulisse. plerumque commentario opus non erit, quia ex exemplis ipsis intellegitur, quomodo scriptor, si mutaturus fuisset, hoc instituere potuisset.

I. **P. M.** c. 2. 2. 10—12. . . *ὁδὸς εὑρημένη, καθ' ἣν τὰ εὑρημένα πολλά τε καὶ καλῶς ἔχοντα εὕρηται ἐν πολλῷ χρόνῳ καὶ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεται, ἤν τις ἱκανός τε ἐὼν καὶ τὰ εὑρημένα εἰδὼς ἐκ τούτων ὁρμώμενος ζητῇ.*

c. 8. 8. 14—16. *ἄλλο τι ὧν οἱ ὑγιαίνοντες ἐσθίοντες ὠφελέονται, μὴ πολλόν, ἀλλὰ πολλῷ ἔλασσον ἢ ὑγιαίνων ἂν ἐδύνατο, ἄλλος τε τῶν ὑγιαινόντων φύσιν ἔχων* . . . hic varia sanitatis vocabula atque ea ab eadem stirpe originem ducentia suppeditabant velut *ὑγιής, ὑγιεινός, ὑγιηρός.*

c. 10. 10. 21—24. *ἔστι γὰρ οἷσιν αὐτῶν συμφέρει μονοσιτεῖν καὶ τοῦτο διὰ τὸ συμφέρον οὕτως αὐτοῖσιν ἐτάξαντο . . . οὕτω γὰρ αὐτοῖσι συμφέρει* . . . non peius fuisset, si pro triplici illo *συμφέρειν* alia verba usurpasset, velut *ὠφελεῖν, ὀνινάναι, λυσιτελεῖν* vel *χρήσιμον, ὠφέλιμον, προὔργου εἶναι.*

II. **A. A. L.** c. 18. 60. 13. 14. 19. 21. *ἐν ἁμάξῃσιν οἰκεῦσιν . . . αἱ δὲ ἅμαξαί εἰσιν . . . τετράκυκλοι . . . τὰς δὲ ἁμάξας ἕλκουσι . . . ἐν ταύτῃσι μὲν οὖν τῇσι ἁμάξῃσιν* . . . c. 22. 65. 6—8. *εἰσὶ γὰρ παρὰ τὰ ὦτα φλέβες, ἃς ἐάν τις ἐπιτάμῃ, ἄγονοι γίνονται οἱ ἐπιτμηθέντες. ταύτας τοίνυν μοι δοκέουσι τὰς φλέβας ἐπιτάμνειν.* c. 24. 68 13. *οὕτως ἔχει περί τε τῆς Εὐρώπης . . . ἔνεισι δὲ καὶ ἐν τῇ Εὐρώπῃ φῦλα διάφορα* . . .

III. **Praen.** c. 15. 93. 19 sqq. *ταῦτα ἐπιγενέσθαι. οὕτω μὲν γὰρ [τούτων τῶν σημείων ἐπιγενομένων] οὐκ ἂν ἀποθάνοι ὁ ἄνθρωπος. ἢν δὲ τὰ μὲν τούτων ἐπιγένηται* . . . ubi verba cancellis circumscripta sine ullo sensus defectu potuerunt abesse.

c. 19. 99. 12—13. *προσέχειν οὖν δεῖ τὸν νόον καὶ τοῖσιν ἄλλοισιν σημείοισιν, ὡς ἤν τι καὶ τῶν ἄλλων σημείων πονηρὸν ἐπιφαίνηται* . . . ubi suffecturum fuit *καὶ τούτων τι.* c. 21. 102. 3—5. *προσδέχεσθαι χρὴ αἵματος ῥῆξιν* . . . *μᾶλλον δὲ χρὴ τοῦ μὲν αἵματος τὴν ῥῆξιν προσδέχεσθαι,* ubi satis habuit voculis *μ. δ. τοῦτο ἐπιγίνεται.*

Cum igitur tria illa scripta in hac quoque re consonent, rursus aliquid adminiculi illi sententiae nobis comparavimus, qua illos scriptores antiquo quodam gustu esse contendimus.

Caput III.

Proximis duobus capitibus egimus primum de sententiarum praeceptionumque similitudine, deinde de quibusdam in vocabulis, quae sunt priscae Graecitatis propria, adhibendis consonantiis, tum de verborum repetitione. nunc breviter perstringam interpellationem, qua nos perturbare posset, qui contenderet, haec tria opuscula disquisitionibus non indigere, quia ei, qui illa uno tenore perlegisset, statim manifestum esset auctores esse diversos propter argumenta dissiunctissima. sed ostendi potest, opinor, ex hac quidem re tale aliquid minime concludendum esse. immo brevi, si quid sentimus, apparebit, omnia illa scripta propterea, nisi gravissime inter se in quibusdam rebus ad artem grammaticam pertinentibus dissiderent, de qua re statim quam plurimas disquisitiones instituemus, sine ulla difficultate ab uno eodemque auctore concepta esse posse. primum scripta varii argumenti esse haud abnuerim, siquidem ea tota contemplaris. brevissimis formulis singulorum librorum argumenta sic fortasse describuntur: auctor l. de p. m., ipse antiquioris et demonstrandi et perscrutandi rationis, quae complurium et aegrotorum et sanorum conditionibus quam acuratissime inspectis certam curandi regulam sibi formabat, sectator acerrimus, infestissimis verbis concertat contra illos medicos, qui vanis opinionibus fulti secundum philosophorum dogmata sanandi viam eligendam esse autumant.[1] in l. de a. a. l. ingeniosum admiramur medicum,

[1] optime hoc cognoscitur ex cap. 20 initio = pg. 24. 5, ubi contra *σοφιστάς* disputat: sed non ei res est cum iis sophistis, quos nos illo nomine appellare consuevimus, sed cum iis medicis, qui

qui primus fundamento variarum peregrinationum posito praeclaras illas doctrinas construere ausus est, quibus nostrates nomina, quae sunt „Völkerpsychologie“ [1] et „medizinische Geographie“ [2] indere solent: nam docetur, quanti momenti in corporis humani seu sanam seu morbosam constitutionem sit et caeli aerisque status et loci cuiusvis natura. is denique, qui librum de praenot. scripsit, id imprimis spectavit, ut singulorum morborum indiciis expositis adderet nonnullas medendi rationes. en habes illorum librorum summam tenuibus lineis adumbratam. num videntur ab hominibus plane diversis conscripti? immo hoc quemquam virum praesumere necesse non est. potest esse scriptor unus, quamvis varient argumenta: sume alios auctores velut Ionem Chium, qui simul et poesis et solutae orationis fuit peritissimus, cum et carminibus epicis lyricisque et tragoediis non minus quam opusculis ad patriae historiam et ipsius vitae descriptionem pertinentibus excelleret, sume Xenophontem, qui historiam, narrationem poeticam (Cyropaediam dico), rem militarem, oeconomiam, philosophiam, paene omnia litterarum genera permultis libris tractavit, sume denique Aristotelem, qui non solum philosophiae, sed etiam rei naturalis historiaeque partes, omnium artium paene infinitam materiam mente comprehendebat. his exemplis notissimis cognoscitur, quam levi bracchio illi rem tetigerint, qui propter argumenti varietatem solam nullis aliis causis accedentibus complures libros ab uno scriptore conceptos esse ne-

σοφίζονται, id quod percipi potest ex primo capite l. de fractis (K. II. pg. 46. 9): *οἱ δὲ ἰητροὶ σοφιζόμενοι δῆδεν ἔστιν οἳ ἁμαρτάνουσι.* haec verba perverse interpretatus est Erotianus in vocum Hippocraticarum collectione (ed. I. Klein Lips. 1865.) pg. 9: *σοφιζόμενοι. περιεργαζόμενοι. ἐν δὲ τῷ περὶ ἄρθρων τεχναζόμενοι.* cf. versiculum Timonis Phliasii, quo contendit contra philosophos dogmaticos, non contra sophistas: *ἔσπετε νῦν μοι ὅσοι πολυπράγμονές ἐστε σοφισταί*, qui versus traditus est a Laertio Diogene IX. 112 (cf. Corpusculum Poesis Epicae Ludibundae Fasc. II. ed. C. Wachsmuth pg. 89).

[1] cf. Gomperzius „Gr. Denker“ [2] vol. I. pg. 251.

[2] cf. Neuburger, „Gesch. d. Med.“ vol. I. pg. 177.

gant. sane aliquid interest inter ista exempla et illa, quae supra (pg. 28) attuli, scripta. agitur hic de medicis variam materiam tractantibus. sed medicus quoque libros varii argumenti concipere potuit: et statim argumenti varietatem variis libris commendare et diversis temporibus diversa scripta edere potest. quod hac ratione factum esse attractis illis similitudinum indiciis, quae iam exposuimus, veri primo obtutu non videbitur dissimile. medicus quidam, qui nonnullos ex collegis valde philosophiae seu deditis seu confidentibus falsam curandi viam ingressos esse intellexit, ne nimis haec ratio disseminaretur, l. de p. m. velut *ἀντίδοτον* conscripsit, in quo componendo, utut in libellis fieri solet, saepius iustae cautaeque argumentationis terminos excessit omnem illius rationis utilitatem praefracte pernegans: qui ubicumque sensit non inutile esse medico, si aptam et astrologiae et cosmologiae scientiam sibi acquireret eaque uteretur ad homines in diversis regionibus habitantes variis modis curandos, in l. de a. a. l. hanc doctrinam professus est; postremo in l. de praen. composuit nonnullas observationes, quas permultis aegrotis disquisitis sibi comparavit quasque aliis medicis non impertire noluit. hoc modo etiam varia illa scripta uni eidemque viro deberi possunt. denique hoc addam: si in libro de p. m. nullum ullius itineris ab auctore facti nec vola nec vestigium extat — in prognostico enim tale aliquid legitur idque cum l. de a. a. l. consonum [1] — ex hac re nemo concludet illius libri auctorem semper domi mansisse: nam eo tempore, quo haec scripta confecta esse evicimus, dico saecu-

[1] cf. c. 25. 108. 3, ubi praeter Delum et Libyam terra Scythica commemoratur, quae etiam in l. de a. a. l. accuratius tractatur: aliquanto melius esset, si Fuchsio (cf. Neuburger et Pagel, „Hdbch. der Gesch. d. Med.“ Jena 1902. pg. 234) fides habenda esset, qui, seu ipse hoc repperit, seu ab alio homine erudito deprompsit, contendit, in l. de a. a. l. in c. 19. lacunam statuendam esse eo loco, ubi de discriminibus ageretur, quae exstarent inter Asiae Europaeque incolas: qua lacuna illi de Libya sermonem fuisse verisimile est.

lum quintum, nemo medicus non peregrinabatur. memoria mihi suppeditat Democedis Crotoniatae exemplum, cuius casus et itinera Herodotus [1] narravit; postea quoque medicos Graecos alibi procul a patria arti inservivisse Ctesias docet, qui quarto saeculo in regis Persarum aula permultos annos commoratus est.

[1] cf. III. c. 125, c. 129—138.

„Si quibus haec quae disputavimus levia et pusilla videbuntur, non contra tendimus. sane sunt levia, quamquam fortasse non leviter quaesita: neque iis aliquid ponderis acquirere volumus sic argumentantes in arte grammatica aut nihil parvum esse aut magnum nihil, sed tamen ita sentimus, ne magna quidem aut in hac arte aut in ulla posse feliciter perpetrari nisi rebus etiam minutis cum cura et studiose administratis."

Ioh. Vahlenus, Ind. lect. Berol. aest. 1880 = Opuscula academica vol. I. pg. 120.

Pars II.

Quamquam fieri non potest, ut ex argumentis diversis diversos quoque auctores eliciamus, tamen ex dicendi usu atque ratione — cautela semper adhibita, ne nimis temerarii proruamus — evinci potest haec scripta nullo modo ab eiusdem scriptoris manu exarata esse: cui argumentationi altera eaque latior pars opusculi inserviet. materiam quam collegi copiosissimam ita distribuam, ut nonnullis introducendi causa praemissis primo capite agam de vocabulorum electione, altero de modorum usu, tertio de particulis selectis. apparet me, ne nimis excurram, cogi de his, quas promisi, rebus non omnes, sed nonnullas graviores proferre. multum denique utilitatis praebet, illa scripta paene eiusdem circuitus esse, ita ut, si quando ex numeris aliquid concludendum erit, fieri non possit, ut decipiamur.

Tria illa scripta saepius atque iterum pervolventi mihi sero tantum luce clarius factum est ea a disiunctissimis concepta esse auctoribus. primum enim librorum manuscriptorum, quibus traditus est liber de p. m., discrepantiis et praecipue iis, quae sunt minutissimae, velut particulae τε καί, de quibus postea multa, commotus sum, ut accuratius et in alias quoque particulas et in cetera, quae ad rem grammaticam attinent, inquirerem; tum inveni, id quod mirum non erit, etiam hic interdum modo

similitudines extare,[1] modo singulis indiciis nobis non permitti, ut artissime alterius scriptoris usum ab altero segregemus. tamen spero me quam possum validissime effecturum esse, ut unusquisque intellegat nihil communis atque consoni exstare inter illorum librorum auctores. in singulis rebus enodandis ita agam, ut semper progrediar ea ratione, quam et philosophi et rerum naturalium periti vocant inductivam, ita ut exemplorum caterva praemissa e recte perspectis singulis quid concludendum sit postea eruamus. neque enim fieri potest, ut a firmo principio egressi quaestiones instituamus, quia tum semper periculum est, ne fictae opinioni dediti etsi nolentes eventum depravemus, sicut Hippolytum Tainium, doctissimum illum Francogallum, in disquisitionibus seu ad historiam seu ad litteras pertinentibus nimis saepe fecisse notum est.

Caput I.

Hoc capite sermo erit de vocabulorum electione; nam exemplorum satis magna congerie demonstrari potest singulos auctores mirum quantum inter se abhorrere in nonnullis voculis adhibendis. atque ita materiam dispescam, ut primum agam de verbis, deinde de adverbiis, tum de substantivis.

A. Verborum initium faciant verba dicendi, dico *λέγειν, φάναι, ἐρεῖν, φράζειν*: quae verba a variis scriptoribus varie usurpantur; nam hic illa, ille haec verba cupidius arripuit. primum exempla, quotquot leguntur, afferam: quibus antepositis facile erit summam brevi comprehendere.

I. **P. M.** 1. *λέγειν*: c. 1. 1. 1. *λέγειν ἢ γράφειν.* c. 1. 1. 8. *πολλοῖσι καὶ οἷσι λέγουσι.* c. 1. 2. 3. *ἤν τις ἐπιχειρῇ τι λέγειν.* c. 1. 2. 5—6. *ἃ εἴ τις λέγοι καὶ γινώσκοι, οὔτ' ἂν αὐτῷ τῷ λέγοντι δῆλα ἂν εἴη.* c. 2. 2. 17. *λέγων καὶ ἐπιδεικνύων.* c. 2. 2. 20. *περὶ ταύτης λέγοντα . . . γνωστὰ λέγειν.* c. 2. 2. 22. *λέγειν προσήκει.* c. 2. 3. 3. *εὑρημένα καὶ λεγόμενα.* c. 11. 12. 16. *πάντα γάρ, ἃ λέγω πάσχειν τὸν ἄνθρωπον.* c. 15. 17. 1. *οἱ τὸν λόγον ἐκεῖνον λέγοντες.* c. 20. 24. 5. *λέγουσι δέ τινες ἰητροὶ καὶ σοφισταί.* c. 20. 24. 17. *λέγω δὲ ταύτην τὴν ἱστορίην.* c. 22. 26. 20. *λέγω δὲ τὸ τοιοῦτον.* c. 24. 30. 5. *λέγω δὲ τὸ τοιοῦτον.*

2. *εἶπον*: c. 5. 6. 1. *ὅπερ ἐν ἀρχῇ εἶπον.* c. 16. 19. 16. *μυρία δ' ἂν καὶ ἄλλα ἔχοιμι εἰπεῖν.*

3. *φάναι*: c. 11. 12. 17. *φημὶ δὲ καὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους . . . ταῦτα πείσεσθαι.* c. 12. 12. 22. *ἔγωγέ φημι* (sc. *τὰς τοιαύτας φύσιας ἀσθενεστέρας εἶναι*). c. 12. 13. 5. *οὔ φημι δὲ δεῖν τὴν τέχνην . . . ἀποβάλλεσθαι.* c. 13. 14. 12. *τί δὴ φήσομεν;* c. 18. 21. 17. *φημὶ ἔγωγε γίνεσθαι τὸν αὐτὸν τρόπον.* c. 19. 23. 19. *τί γὰρ αὐτὸ φήσομεν εἶναι;*

4. *ἐρεῖν*: c. 5. 6. 9. *περὶ ὧν μοι ὁ πρότερος λόγος εἴρηται.* c. 11. 12. 21. *οἷάπερ . . . εἴρηκα.* c. 12. 13. 5. *περὶ ὧν εἰρήσεται.* c. 15. 18. 5. *τἄλλα ὅσα μοι εἴρηται.* c. 20. 24. 12. *ὅσα τινὶ εἴρηται.* c. 24. 30. 4. *ὥσπερ καὶ πρότερον εἴρηται.*

5. *φράζειν*: nullum exstat exemplum.

II. **A. A. L.** 1. *λέγειν*: c. 2. 34. 15. *λέγοι ἂν* (sc. *ὁ ἰητρός*), *ὁκόσα τε νοσήματα . . . μέλλει . . . τὴν πόλιν κατασχήσειν.* c. 12. 53. 6. *βούλομαι δὲ . . . λέξαι.* c. 22. 66. 8. *ὥσπερ καὶ πρότερον ἔλεξα.*

2. *εἶπον*: nullum extat exemplum.

3. *φάναι*: c. 9. 48. 7. *φημὶ ἄμεινον εἶναι.* c. 12. 53. 11. *τὴν Ἀσίην πλεῖστον διαφέρειν φημὶ τῆς Εὐρώπης.*

4. *ἐρεῖν*: c. 3. 35. 6. *ἕκαστα τῶν προειρημένων.* c. 6. 39. 24. *μέρος τῶν προειρημένων.* c. 12. 53. 10. *ἐρέω ὥς μοι δοκεῖ ἔχειν.* c. 14. 55. 21. *ἐρέω περὶ αὐτῶν ὡς ἔχει.* c. 16. 59. 13. *ὥσπερ μοι εἴρηται ἐν τοῖς προτέροισι.* c. 22. 66. 11. *ἀπὸ τοιαύτης προφάσιος . . . γίνεται, οἵην εἴρηκα.* c. 23. 68. 5. *εἴρηται δέ μοι καὶ πρότερον.*

[1] nullum enim in omnibus his libris legitur exemplum adiectivi verbalis; item ubique semel particula *μέντοι* invenitur (p. m. c. 5. 6. 13; a. a. l. c. 24. 69. 9; praen. c. 24. 106. 2.).

5. *φράζειν*: c. 3. 35. 7. *ἐγὼ φράσω σαφέως*. c. 7. 42. 22. *περὶ ὧν φράσω αὐτίκα*. c. 9. 47. 6. *ὅτι δὲ οὐχ ἅπασιν, ἑξῆς φράσω*. c. 22. 64. 20. *ὥς μοι δοκεῖ γίνεσθαι φράσω*. c. 24. 68. 17. *ἔτι δὲ σαφέστερον φράσω*.

III. **Praen.** 1. *λέγειν*: c. 1. 78. 2. *προγινώσκων καὶ προλέγων*: eadem verba c. 1. 79. 7. — c. 3. 82. 6. *προλέγειν κίνδυνον*. c. 23. 103. 3. *προλέγειν ὡς ἐν κινδύνῳ ἐόντος τοῦ ἀνθρώπου*. c. 24. 107. 11. *ταῦτα δὲ λέγω περὶ τῶν ὀξέων νοσημάτων*.

2. *εἶπον*: nullum extat exemplum.

3. *φάναι*: c. 2. 80. 4. *ἢν δὲ μηδὲν τούτων φῇ*. c. 16. 95. 2. *ἢ φαίη ἀντὶ τῆς ὀδύνης αὐτῷ βάρος ἐγγενέσθαι* . . c. 24. 105. 16. *ὅστις δ'ἂν . . . φῇ κεφαλὴν ἀλγεῖν*.

4. *ἐρεῖν*: c. 2. 80. 4. *ἐν τῷ χρόνῳ προειρημένῳ*. c. 12. 91. 5. *οἷα εἴρηται ἀγαθὰ εἶναι*. c. 12. 91. 6. *οἷα εἴρηται κακὰ εἶναι*. c. 16. 95. 6. *ἐς τοὺς χρόνους τοὺς προειρημένους*. c. 25. 108. 10. *ἐν τοῖσι χρόνοισι τοῖσι προειρημένοισι*.

5. *φράζειν*: nullum exstat exemplum.

His locis collectis omnibus optime cognoscitur, quantopere varient in verbis dicendi singulorum librorum auctores: nam primum sequitur, ut in l. de p. m. verbum *λέγειν* superet alia, cum sexies decies legatur, sed in l. de a. a. l. tantum quinquies, in l. de praen. ter, ut l. de a. a. l. valde dissideat a ceteris, quia verbum *φράζειν* ibi usurpatur, quod in nullo alio horum librorum invenitur, deinde, ut in l. de p. m. *φάναι* saepius (sexies) adhibeatur quam in ll. de a. a. l. (bis) et de praen. (ter). tum l. de p. m. solus is est, ubi usu venit aoristus defectivus *εἶπον*, qui hic bis legitur, alibi nusquam. cum quibus discriminibus non potest concertare, quod variae verbi *ἐρεῖν* formae paene simili numero in tribus his scriptis usurpantur, in l. de p. m. sexies, in l. de a. a. l. septies, in l. de praen. quinquies: nam aliquid diversi etiam hic latet. intellegi potest in l. de p. m. superiores partes agere formam *εἴρηται*, in l. de a. a. l. bis legi *ἐρέω*, quam formam nullo alio loco invenies, in l. de praen. adhiberi participium perfecti passivi

saepius (ter) quam alibi, cum in l. de p. m. nusquam, in l. de a. a. l. bis usurpetur.

Operae pretium est his annectere annotatiunculam de quodam discrimine, quo l. de praen. loquendi consuetudinem longe abhorrere demonstratur ab illis ceteris scriptis. supra vidimus in omnibus illis opusculis locum habere verbum *ἐρεῖν*, cuius verbi participium perfecti passivum in libris de a. a. l. et de praen. invenitur; sed dimidio maiorem partem quam illud participium obtinet in l. de praen. verbum *διαγράφεσθαι*, quod sexies legitur (c. 14. 92. 22; c. 15. 93. 19; c. 15. 94. 10; c. 24. 107. 10; c. 25. 107. 18; c. 25. 108. 9.) quodque in ceteris libris frustra quaeres.[1]

b. Transeam ad verba putandi, quorum esse electionem quandam nemo nescit: nam sunt ea quattuor: *νομίζειν, οἴεσθαι, ἡγεῖσθαι, ὑπολαμβάνειν*[2]. cum de horum verborum differentia Schmidtii liber supra allatus frusta inspiciatur, hunc missum faciamus statimque in medias res eamus.

I. **P. M.** 1. *νομίζειν*: c. 4. 5. 10. *εἰ δὲ μὴ τέχνη αὕτη νομίζεται εἶναι*. c. 14. 15. 15. *ἀξίην τὴν τέχνην θεῷ προσθεῖναι, ὥσπερ καὶ νομίζεται*. c. 16. 18. 9. *θερμότητα*

---

[1] mirum est in nullo illorum scriptorum legi perfectum passivi *λέλεγμαι*, sed semper compensari similibus verbi *ἐρεῖν* formulis: itaque hoc non casu, sed de industria factum esse autumo minimeque me errare puto, si librum de carnibus conscriptum (= Li. VIII. pgg. 584—614), ubi semel *λέλεκται* legitur (c. 10. pg. 596. 20) a plane diverso auctore confectum esse contendo.

[2] hoc verbum in illis scriptis, quantum video, non legitur eo quidem, quem postulamus, sensu. sed dubito, num omnino illic ita inveniatur: nam cum corpus Hippocraticum, sicut de his quidem libris ostendimus, paene omne quinto saeculo attribuendum sit, i. e. veteri Iadi, cumque in illius quasi columine, Herodoto, numquam ita usurpetur (quia ibi semper significat „suscipere, excipere, insequi, invadere, consilium datum admittere, conditionem propositam accipere" secundum Schweighaeuseri lex. Herod. vol. II. pg. 346), *ὑπολαμβάνειν* pro putandi verbo adhibitum sine nimia temeritate veteri dialecto Ionicae abrogabimus Atthidisque solius proprium esse contendemus, ubi idem significare atque opinari vel suspicari, semper de opinione falsa fictaque, notum est.

ἥκιστα τῶν δυναμίων νομίζω δυναστεύειν ἐν τῷ σώματι. c. 20. 24. 13. *ἧσσον νομίζω τῇ ἰητρικῇ τέχνῃ προσήκειν ἢ τῇ γραφικῇ.*

2. *ἡγεῖσθαι*: c. 3. 4. 25. *ἡγεύμενοι . . . ἀπὸ τούτων . . . νούσους καὶ θανάτους ἔσεσθαι.* c. 14. 15. 17. *οὐδὲ τὸ ψυχρὸν οὐδὲ ἄλλο τούτων ἡγησάμενοι οὐδὲν οὔτε λυμαίνεσθαι οὔτε προσδεῖσθαι οὐδενός.* c. 17. 20. 11. *ἐγὼ δέ μοι τοῦτο μέγιστον τεκμήριον ἡγεῦμαι εἶναι.* c. 17. 20. 18. *ῥώμης μὲν ἔχον ὅσον τὸ ἡγεύμενον.* c. 19. 22. 13. *δεῖ δὲ δήπου ταῦτα αἴτια ἑκάστου ἡγεῖσθαι εἶναι.* c. 19. 24. 3. *περὶ οὗ ἡγεῦμαι ἐπιδεδεῖχθαι.*

3. *οἴεσθαι*: c. 5. 6. 9. *πρῶτον μέν, οἶμαι, ὑφεῖλον τοῦ πλήθεος . . .* c. 13. 14. 14. *οἶμαι γὰρ ἔγωγε πολλὴν ἀπορίην . . . παρασχεῖν.* c. 14. 15. 14. *φήθησαν τὴν τέχνην ἀξίην θεῷ προσθεῖναι.* c. 15. 17. 4. *οὐ γάρ ἐστιν αὐτοῖς, οἶμαι, ἐξευρημένον αὐτό . . .* c. 15. 17. 7. *ἀλλ' οἴομαι ἔγωγε ταὐτὰ βρώματα . . . αὐτοῖσιν ὑπάρχειν . . .* c. 22. 27. 6. *οἶμαι μὲν τὰ τοιαῦτα.* c. 24. 30. 9. *οἶμαι μὲν ὀξύς* (sc. *χυμός*).

II. **A. A. L.** 1. *νομίζειν*: c. 3. 36. 3. *ἃ νομίζουσι τὸ θεῖον ποιεῖν.* c. 3. 36. 9. *ὁκόσα ὀξέα νοσήματα νομίζονται εἶναι.* c. 4. 37. 8. *αἵ τε ὀξεῖαι νομιζόμεναι νοῦσοι.* c. 7. 42. 3. *τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα ὕδατα νομίζω μοχθηρὰ εἶναι.* c. 7. 43. 23. *νομίζεται διαχωρητικὰ* (sc. *τὰ ὕδατα*). c. 8. 46. 11. *ταύτῃ οὖν νομίζω πονηρότατα ταῦτα τὰ ὕδατα εἶναι.* c. 22. 65. 13. *νομίσαντές τι ἡμαρτηκέναι τῷ θεῷ.* c. 23. 67. 8. *διότι τὰ εἴδεα διηλλάχθαι νομίζω τῶν Εὐρωπαίων.* c. 23. 67. 18. *διὸ καὶ εὐψυχοτέρους νομίζω . . . εἶναι.*

2. *ἡγεῖσθαι*: nullum exstat exemplum.

3. *οἴεσθαι*: nullum exstat exemplum.

III. **Praen.** 1. *νομίζειν*: c. 2. 80. 1. *ἢν μέν τι τούτων ὁμολογῇ, ἧσσον νομίζειν δεινὸν εἶναι.* c. 2. 80. 17. *ταῦτα πάντα κακὰ νομίζειν εἶναι καὶ ὀλέθρια.* c. 5. 83. 4. *εὔπνοιαν δὲ χρὴ νομίζειν κάρτα μεγάλην δύναμιν ἔχειν ἐς σωτηρίην.* c. 13. 91. 14. *νομίζειν χρὴ πονηρὸν εἶναι.*

2. *ἡγεῖσθαι*: nullum exstat exemplum.

3. *οἴεσθαι*: nullum exstat exemplum.

Qua exemplorum congerie perspici potest, quantum libri de p. m. dicendi genus abhorreat a ceteris scriptis. nam ea putandi verba, quae in libris de a. a. l. et de praen. non leguntur, *ἡγεῖσθαι* et *οἴεσθαι*, in illo saepius atque iterum usu veniunt, cum sena exempla colligantur. itaque hic solus l. de p. m. a reliquis videtur distare: sed non plane ita res se habet. sunt enim differentiae etiam in scriptis de a. a. l. et de praen., si numquam obliviscimur illos libros paene eiusdem circuitus esse. nam verbum *νομίζειν* ab omnibus plerumque usurpatum in l. de a. a. l. novies, in l. de praen. quater legitur. praeterea observatione dignum est in l. de p. m. discernenda esse duo genera verbi *οἴεσθαι*, primum illud, ubi a verbo pendeat enuntiatum secundarium, deinde illud, ubi *οἶμαι* in enuntiatum primarium laxius inseratur sensu illo tritissimo, quo sententia modo deprompta lenitur: quae notio, cum inter sex exempla quater inveniatur, dimidio maiorem partem omnium efficit. itaque hic quoque nonnulla discrimina demonstrari possunt, etsi negandum non est librorum diversitatem melius cognosci ex verborum dicendi vario usu.

c. transgrediamur ad ea verba, quae necessitatis vim habent. cuius notionis in lingua Graeca nobis praesto sunt haecce: *δεῖ, χρή, ἀνάγκη*. quarum vocularum differentiam Schmidtius ita exposuit, ut nullum fructum ex istis explicationibus percipiatur, quia non satis distincte omnis vocis provinciam depinxit. si in vol. III pg. 703. verbo *ἀνάγκη* naturae necessitatem significari dixit, nihil aliud explanavit, quam ex vocabuli stirpe quivis ipse eliciet. si porro in vol. III pg. 704—05 de diversitate, quae exstaret inter *δεῖ* et *χρή*, ita disseruit, ut hoc verbum magis adhiberi contenderet, cum quis ea, quae conditione temporum flagitarentur, significare vellet, illud, cum quis ea, quae quasi potentioris alicuius iussu poscerentur, peragere vellet, nemo non videbit eiusmodi disceptationibus nihil ad rem afferri. nam si quis secundum

illam regulam exempla, quae brevi afferam, tractaturus esset, cognosceret se oleum et operam perdidisse. itaque hic quoque sufficiat exemplis collectis ex numeris singulorum auctorum scribendi usum peculiarem demonstrare.

I. **P. M.** 1. *δεῖν*: c. 2. 2. 20. *μάλιστα δέ μοι περὶ ταύτης δεῖν λέγοντα τῆς τέχνης γνωστὰ λέγειν* . . . c. 9. 9. 9. *ἂν ἔδει . . . ἄγειν ἐπὶ τὸ ἀσθενέστερον.* c. 9. 9. 17. *δεῖ ... μέτρου τινὸς στοχάσασθαι.* c. 12. 13. 5. *οὐ φημὶ δὲ δεῖν . . . τὴν τέχνην . . . ἀποβάλλεσθαι.* c. 13. 13. 15. *δεῖ τὸν ὀρθῶς ἰητρεύοντα βοηθεῖν.* c. 20. 24. 8. *τοῦτο δεῖ καταμαθεῖν.* c 21. 26. 11. *δεῖ δὲ οὔ, ἀλλ' εἰδέναι.* c. 22. 26. 18. *δεῖν δέ μοι δοκεῖ καὶ ταῦτα εἰδέναι.* c. 22. 27. 8. *καταμανθάνειν δὲ δεῖ ταῦτα.* c. 23. 29. 23. *μυρία, ἃ δεῖ πάντα εἰδέναι.*

2. *χρή*: c. 1. 2. 7. *πρὸς ὅ τι χρὴ ἀνενέγκαντα εἰδέναι τὸ σαφές.* c. 6. 6. 24. *εὖ δὲ χρὴ τοῦτο εἰδέναι.* c. 11. 12. 4. *σκέψασθαι δὲ χρή.* c. 13. 14. 2. *τί δὲ χρὴ . . . παρεσκευάσθαι.*

3. *ἀνάγκη*: c. 1. 2. 3. *περὶ ὧν ἀνάγκη . . . ὑποθέσει χρῆσθαι.* c. 15. 17. 12. *ληρεῖν ἀνάγκη.* c. 19 22. 14. *τοιουτότροπον γίνεσθαι ἀνάγκη.* c. 22. 28. 17. *ἀνάγκη ὑπ' αὐτῶν ψόφον . . . γίνεσθαι.*

II. **A. A. L.** 1. *δεῖ*: c. 1. 33. 9. *δεῖ . . . τῶν ὑδάτων ἐνθυμεῖσθαι τὰς δυνάμιας.* c. 10. 50. 18. *αὐτὸν ἔδει ἅμα τῷ ἦρι διαλύεσθαι.* c. 11. 52. 19. *δεῖ δὲ καὶ τῶν ἄστρων τὰς ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι.*

2. *χρή*: c. 1. 33. 1. *τάδε χρὴ ποιεῖν.* c. 1. 33. 13. *διαφροντίσαι χρὴ τὴν θέσιν.* c. 1. 33. 18. *ταῦτα δὲ χρὴ ἐνθυμεῖσθαι ὡς κάλλιστα.* c. 2. 34. 7. *χρὴ ἐνθυμεῖσθαι ἕκαστα.* c. 3. 35. 6. *χρὴ ἕκαστα ... σκοπεῖν.* c. 11. 52. 12. *φυλάσσεσθαι δὲ χρὴ τὰς μεταβολὰς τῶν ὡρέων.* c. 22. 65. 20. *ἐχρῆν ... οὐ τοῖς γενναιοτάτοις ... προσπίπτειν.*

3. *ἀνάγκη*[1]: c. 3. 35. 13. *ὑφαλυκὰ ἀνάγκη εἶναι καὶ μετέωρα.* † c. 4. 37. 2. *τοὺς δὲ ἀνθρώπους εὐτόνους τε καὶ σκελιφροὺς ἀνάγκη εἶναι.* c. 4. 37. 8. *ἀνάγκη δὲ ὧδε ἔχειν.* c. 4. 37. 13. *ἐδωδοὺς δὲ ἀνάγκη τὰς τοιαύτας φύσιας εἶναι.* c. 5. 38. 23. *λαμπρά τε εἶναι ἀνάγκη καὶ εὐώδεα.* c. 6. 39. 15. *ἀνάγκη ταύτας τὰς πόλιας θέσιν κεῖσθαι νοσερωτάτην.* c. 7. 40. 16. *ταῦτα ἀνάγκη τοῦ μὲν θέρεος εἶναι θερμά.* c. 7. 40. 19. *ἀνάγκη ἄχροά τε εἶναι καὶ πονηρά.** c. 7. 42. 5. *σκληρὰ γὰρ ἀνάγκη εἶναι.* c. 7. 42. 18. *ἀνάγκη γὰρ λαμπρότερα εἶναι.* c. 9. 47. 3. *ὑφίστασθαι οὖν τοῖσι τοιούτοισι ἀνάγκη ... ἰλύν.* c. 9. 47. 11. *ἀνάγκη καὶ τὴν κύστιν τωυτὸ πάσχειν.*† c. 10. 49. 4 *ἀνάγκη τὸ θέρος πυρετῶδες γίνεσθαι.* c. 10. 49. 8. *ἀνάγκη δίπλοον τὸ καῦμα εἶναι* c. 10. 51. 12. *χειμῶνα ἀνάγκη νοσερὸν εἶναι.* c. 12. 54. 18. *τὴν ἡδονὴν ἀνάγκη κρατεῖν.** c. 16. 59. 1. *ἀνάγκη ἡμεροῦσθαι τὴν ὀργήν.*† c. 23. 68. 4. *ἐκεῖ ἀνάγκη δειλοτάτους εἶναι.*† c. 24. 69. 11. *ἀνάγκη τὰ τοιαῦτα εἴδεα προγαστρότερα εἶναι.*

III. **Praen.** 1. *δεῖ*: c. 9. 86. 20. *στρέφεσθαι δὲ δεῖ τὸν νοσέοντα ῥηϊδίως.* c. 11. 88. 16. *δεῖ δὲ ... λαπαρὴν ... εἶναι τὴν κοιλίην.* c. 12. 90. 20. *ἀπόστασιν δεῖ προσδέχεσθαι.* c. 15. 93. 7 *εἰδέναι δεῖ ἐκπυήσοντα.* c. 19. 99. 12. *προσέχειν οὖν δεῖ τὸν νόον.* c. 22. 102. 12. *ὀξέως δεῖ προσέχειν τὸν νόον.*

2. *χρή*: c. 1. 78 18. *γνῶναι οὖν χρή.* c. 2. 79. 9. *σκέπτεσθαι δὲ χρή.* c. 2. 79. 21. *ἐπανερέσθαι χρή.* c. 2. 80. 17. *σκοπεῖν δὲ χρή.* c 2. 81. 4. *εἰδέναι χρή.* c. 3.

[1] ex alio consilio egrediens haec exempla iam Kautius collegit (in dissertatione, qua egit de modorum usu in Hipp. scriptis genuinis, Gryphiswald. 1876 pg. 22–23). sed hic optime cognoscitur disquisitionem iteratam non omni emolumento indigere; nam ipse inveni undeviginti, Kautius septendecim. quae non protuli illius viri vituperandi causa; nam perfacile in eiusmodi disquisitionibus, in quibus intendenti diligentia opus est, aliquid praetermittitur. quod ut ipse, quantum potui, vitarem, in his minutiis eandem rem bis terve repetivi, priusquam aliquid certi ex illis concludere auderem. praeterea ob eam quoque causam coactus eram exempla denuo afferre, quia, cum Kautius suae commentationi Ermerinsii editionem, ego meae Kuehleweinii subiecerim, et lectiones et capitum paginarumque numeri non mecum consentiunt. exempla a Kautio neglecta asterisco notavi, exempla, in quorum lectione editores variant, cruce.

81. 7. *χρὴ καταλαμβάνεσθαι τὸν νοσέοντα.* c. 3. 82. 6. *χρὴ προλέγειν κίνδυνον.* c. 5. 83. 4. *χρὴ νομίζειν.* c. 7. 83. 21. *φυλάσσεσθαι χρή.* c. 7. 84. 1. *ἐπικατιδεῖν χρή.* c. 7. 84. 12. *ἐπανερέσθαι χρή.* c. 7. 85. 8. *χρὴ ὑποσκέπτεσθαι.* c. 7. 85. 10. *χρὴ σκέπτεσθαι.* c. 9. 87. 5. *σκέπτεσθαι χρή.* c. 10. 87 14. *ἐγρηγορέναι χρή.* c. 11. 88. 9 *χρὴ ὑποχωρεῖν.* c 11 88. 12 *παχύνεσθαι δὲ χρὴ τὸ διαχώρημα.* c. 12 91. 14. *νομίζειν χρὴ πονηρὸν εἶναι.* c. 14. 92 1. *πτύελον δὲ χρὴ . . . ἀναπτύεσθαι.* c. 15. 94. 13. *συμβάλλεσθαι χρή.* c. 15. 94 17. *ἐκ τούτων χρὴ τὰς προρρήσιας ποιεῖσθαι.* c. 16. 94 22. *ἐπισκέπτεσθαι δὲ χρή.* c 16 95. 5. *χρὴ προσδέχεσθαι.* c. 16. 95. 8. *καταμανθάνειν χρή.* c. 17. 95. 14. *γινώσκειν χρή.* c. 17. 96. 8. *πιστεύειν αὐτοῖσι χρή.* c. 17. 96. 13. *γινώσκειν χρή.* c. 18. 97. 20. *ὑποσκέπτεσθαι δὲ χρή.* c. 18. 98. 7. *τούτοισι χρὴ τὰς τοιαύτας ἀποστάσιας ἐλπίζειν ἔσεσθαι.* c. 20. 101. 6. *χρὴ . . . ἐνθυμεῖσθαι.* c. 20. 101. 17. *συμβάλλεσθαι χρή.* c. 21. 102. 1 *ὑποσκέπτεσθαι χρή.* c. 21. 102. 3. *προσδέχεσθαι χρή.* c. 21. 102. 5. *χρὴ ... προσδέχεσθαι.* c. 23. 104. 8. *χρὴ τὰ τοιαῦτα πειρῆσθαι.* c. 24. 105. 4. *ὑποσκέπτεσθαι δὲ χρή.* c. 24. 105. 7. *χρὴ ... προσδέχεσθαι.* c. 24. 105. 14. *εἰδέναι χρή.* c. 25. 107. 13. *χρὴ δὲ . . . πάντα δύνασθαι κρίνειν.* c. 25. 107. 20. *χρὴ . . . ἐνθυμεῖσθαι.* c. 25. 107. 23. *χρὴ εἰδέναι.* c. 25. 108. 4. *χρὴ εἰδέναι.* c. 25. 108. 8. *ποθεῖν δὲ χρή.*

3. *ἀνάγκη*: c. 17. 96. 19. *προγενέσθαι δὲ ἀνάγκη καὶ πόνον καὶ δύσπνοιαν.*

Nusquam alibi, opinor, primo statim aspectu solisque exemplorum numeris nullo alio demonstrationis adminiculo adhibito melius evinci potest nobis in l. de p. m., de a. a. l., de praen. rem esse cum auctoribus disiunctissimis maximeque diversis. nam *δεῖ* in l. de p. m. decies, in l. de a. a. l. ter, in l. de praen. sexies legitur, *χρή* in l. de p. m. quater, in l. de a. a. l. septies, in l. de praen. quadragies ter, *ἀνάγκη* in l. de p. m. quater, in l. de a. a. l. undevicies, in l. de praen. semel. huic summae, qua nihil indagari potest efficacius, plura annectere nolo. sed liceat mihi paucis reverti ad ea, quae paulo ante de Schmidtii

consilio disputaveram singulorum vocabulorum, quibus necessitas significatur, discrimina eruendi. his quae excerpsi exemplis quam luculentissime cognoscitur eiusmodi experimentis vel potius periclitationibus nihil idonei nobis accrevisse. invenias enim *δεῖ* et *χρή* simili modo usurpata iuxta verba, quae sunt *εἰδέναι* (de p. m. c. 23. 29. 23. et c. 1. 2. 7.), *ἐνθυμεῖσθαι* (de a. a. l. c. 1. 33. 9. et c. 2. 34. 7.), *προσδέχεσθαι* (de praen. c. 12. 90. 20. et c. 21. 102. 5), quibus exemplis compositis illae a Schmidtio constructae, ne dicam inventae differentiae diluuntur. sed talia menda haud dubie ad id referenda sunt, quod omnes fere, qui adhuc rebus grammaticis inservierunt (praeter Lobeckium illum *γραμματικώτατον*), in disquisitionibus Hippocratem plane neglexerunt[1], id quod tanto magis mirandum est, quanto saepius Herodotus excutiatur. sed hic quoque aliquid boni latet. quicumque enim id agunt, ut notitiam grammaticae Graecae augeant scriptorum Hippocraticorum dicendi genere perspecto, semper coguntur, sine ullo grammaticorum recentiorum auxilio ipsi conari, num eis contingat, ut aliquid apti ex fontibus ipsis expiscentur: rivulos enim consectandi potestas non datur.

d. sed non sumus contenti iis, quae adhuc perscrutationibus ad verborum usum peculiarem attinentibus effecta sunt: unum restat verbum, quod quaestioni multum fructus videtur praebere, dico posse. linguae graecae ad eam notionem exprimendam praesto sunt complura vocabula, *δύνασθαι, οἷόν τε εἶναι, ἔχειν*: quorum verborum usus, utut invenitur in illis scriptis, postremae eiusmodi disquisitionis materia erit. qua absoluta paucis comprehendemus, quae in toto illo capite eruimus. tum a verbis nos vertemus ad adverbia. inveniuntur autem haec exempla:

---

[1] postremis demum annis hic quoque viri docti progrediuntur: nam in Stahlii libro praestabili, quem conscripsit de verbi graeci syntaxi historica („Indogerm. Handbibliothek“ series I vol. 4. Heidelberg. 1907) hic illic quamvis perpaucis locis etiam scriptorum Hippocraticorum dicendi genus memoratu dignum fieri coepit. nos autem in illo volumine nihil ad rem idoneum invenimus.

I. **P. M.** 1. *δύνασθαι*: c. 3. 5. 1. *οὐ δυνήσεται κρατεῖν ἡ φύσις.* c. 3. 5. 4. *ὁπόσων δ' ἂν δύνηται ἐπικρατεῖν.* c. 5. 6. 19. *ὅσοι δὲ μηδὲ τῶν ῥυφημάτων ἐδύναντο ἐπικρατεῖν.* c. 7. 7. 23. *ὅσων μὴ ἡ φύσις ἐδύνατο . . . ἐπικρατεῖν.* c. 8. 8. 15. *πολλῷ ἔλασσον ἢ ὑγιαίνων ἂν ἐδύνατο.* c. 8. 8. 20. *πολλῷ μεῖον ἢ δύναιτο.* c. 9. 9. 12. *τὸ τοῦ λιμοῦ μένος δύναται ἰσχυρῶς . . .* c. 10. 11. 4. *εἰσὶ δέ τινες οἳ οὐκ ἂν δύναιντο . . . ῥηϊδίως ἀπαλλάσσειν.* c. 10. 11. 22. *ἀναλίσκειν δὲ οὐ δύναται ὅσα ἀριστιζόμενος*[1] *πρότερον ἐδείπνει.* c. 12. 13. 9. *ἐγγὺς . . . τοῦ ἀτρεκεστάτου δύνασθαι ἥκειν.* c. 13. 14. 2. *ζῆν πολὺν χρόνον οὐ δυνήσεται.* c. 14. 15. 7. *πῶς ἄν τις οὗτος δύναιτο . . . εἰδέναι.* c. 14. 15. 20. *οὗ μὴ ἐδύνατο κρατεῖν.* c. 19. 23. 16. *ἐν τοῖσι τοιούτοισι μέγα δύνανται.* c. 20. 25. 11. *τοῦτο δύναται μάλιστα.* c. 21. 26. 17. *γινώσκειν τὰ γινόμενα ἀπ' αὐτῶν δυνήσεται.* c. 22. 27. 6. *τὰ κοῖλα . . . δύναιτο ἂν μάλιστα.* c. 22. 29. 2. *ὥστε δύνασθαι ἀνέχεσθαι τὴν βίην.* c. 22. 29. 9. *οὐ δύναται ἄνευ πόνων εἶναι.* c. 24. 30. 3. *ἕκαστος* (sc. *τῶν χυμῶν*) *ὅ τι δύναται ποιεῖν τὸν ἄνθρωπον.* c. 24. 30. 12. *οὕτως εἴ τις δύναιτο ζητέων ἔξωθεν ἐπιτυγχάνειν, καὶ δύναιτο ἂν πάντων ἐκλέγεσθαι ἀεὶ τὸ βέλτιστον.*

2. *οἷον τε εἶναι*: c. 13. 14. 10. *ταῦτα μεταβαλόντα οἷόν τε μὴ οὐχ ὑγιᾶ γενέσθαι.* c. 20. 24. 15. *τοῦτο δὲ οἷόν τε καταμαθεῖν.*

3. *ἔχειν*: c. 10. 10. 20. *καταμανθάνειν καλῶς ἔχει.* c. 16. 19. 17. *καὶ ἄλλα ἔχοιμι εἰπεῖν.*

II. **A. A. L.** 1. *δύνασθαι*: c. 1. 33. 3. *ὅ τι δύναται ἀπεργάζεσθαι ἑκάστη.* c. 1. 33. 15. *οὐ γὰρ τωυτὸ δύναται.* c. 8. 46. 11. *οὐ γὰρ ἂν δύναιτο.* c. 12. 54. 16. *τὸ θυμοειδὲς οὐκ ἂν δύναιτο ἐν τοιαύτῃ φύσει ἐγγίνεσθαι.* c. 20.

[1] hic Kuehleweinius iure codicis Parisini (A) lectionem secutus est. nam quamquam ea, quae in Marciano leguntur, exemplo ex eodem libro excerpto defendi possunt (M hic: *οὐ δυνατὸς ὁ ἀριστιζόμενος*, cf. c. 20. 24. 6. *ὡς οὐκ εἴη δυνατὸς ἰητρικὴν εἰδέναι*), tamen propter ea quae sequuntur verba *πρότερον ἐδείπνει* illius codicis scriptura est reicienda.

63. 1. *οὐ γὰρ δύναται . . . συντείνειν.* c. 21. 63. 25 *οὐ γὰρ δύνανται ἔτι συναρπάζειν αἱ μῆτραι . . .*

2. *οἷόν τε εἶναι*: c. 3. 36. 10. *οὐ γὰρ οἷόν τε . . . τὰς νούσους ταύτας ἰσχύειν.* c. 4. 37. 14. *οὐ γὰρ οἷόν τε ἅμα πολυβόρους τε εἶναι καὶ πολυπότας.*[1] c. 7. 41. 25. *τὰς τοιαύτας φύσιας οὐχ οἷόν τε μακροβίους εἶναι.* c. 7. 42 9. *οἷόν τε τὰ ὕδατα ἀγαθὰ γίνεσθαι.* c. 7. 42. 14. *τὸν οἶνον φέρειν ὀλίγον οἷά τέ ἐστιν.* c. 9 46. 22. *οὐ γὰρ οἷόν τε ἕτερον ἑτέρῳ ἐοικέναι ὕδωρ.* c. 10. 49. 12. *οὐ γὰρ οἷόν τε ... μὴ οὐ πλαδᾶν τὸ σῶμα ...* c. 19. 62. 9. *οὐ γὰρ οἷόν τε τὸ σῶμα ταλαιπωρεῖσθαι.* c. 19. 62. 13. *οὐ γὰρ οἷόν τε νηδὺν ἀναξηραίνεσθαι ...* c. 20. 63. 10. *οὐχ οἷά τε ἐφ' ἵππου ὀχεῖσθαι.* c. 21. 63. 17. *πολύγονον οὐχ οἷόν τε εἶναι φύσιν τοιαύτην . . .* c. 21. 63. 21. *ἄνδρα οἷόν τε λαγνεύειν.* c. 22. 65. 10. *ἐπειδὰν μὴ οἷοί τ' ἔωσι χρῆσθαι σφίσιν.*

3. *ἔχειν*: nullum exstat exemplum.

III. **Praen.** 1. *δύνασθαι*: c. 1. 79. 5. *ἔτι μᾶλλον ἂν δύναιτο διαφυλάσσειν . . .* c. 12. 90. 13. *κίνδυνος μὴ οὐ δυνήσεται ὁ ἄνθρωπος διαρκέσαι.* c. 20. 100. 20. *οὐ δύναται δὲ ὅλῃσιν ἡμέρῃσιν ἀριθμεῖσθαι.* c. 25. 107. 17. *χρὴ . . . τὸν τὰ σημεῖα ἐκμανθάνοντα πάντα δύνασθαι κρίνειν.*

2. *οἷόν τε εἶναι*: c. 1. 79. 4. *οἷόν τε περιγίνεσθαι.* c. 2. 79. 20. . . . *καὶ μήπω οἷόν τε ᾖ τοῖσιν ἄλλοισιν σημείοισιν συντεκμαίρεσθαι.*

3. *ἔχειν*: nullum exstat exemplum.

His exemplis augentur et confirmantur illa argumenta, quae iam antea collegimus: constat igitur singula illa scripta longe distare eorum verborum, quae in Latinum verbum posse quadrant, usu. sed quantum sit illud discrimen tum demum recte perspicitur, cum, quae ex magna exemplorum congerie concludi possunt, elicuerimus. ex

[1] hoc exemplum Kautius l. l. pg. 25 omisit, sed non sua culpa; nam in Ermerinsii editione haec verba desunt, vel potius in annotatione ut subditiva allata sunt.

numero eorum verborum, quae Graecae linguae in promptu sunt ad facultatem significandam, auctor l. de p. m. *δύνασθαι*, l. de a. a. l. *οἷόν τε εἶναι* in deliciis habet, quippe quorum numerus valde superet cetera exempla: nam *δύνασθαι* in l. de p. m. vicies bis legitur, qua in re memoratu dignum videtur *δύνασθαι* loco quodam (c. 24. 30. 12.) in uno versiculo bis usurpari; in l. de a. a. l. vix tertia pars invenitur, cum sint sex exempla. *οἷόν τε εἶναι* in l. de p. m. bis, in l. de a. a. l. ter decies adhibetur: in illis igitur verbis usurpandis plane stant a contrariis partibus. deinde non sine ullo momento est voculam *ἔχειν* bis legi in l. de p. m., nullo loco in ceteris scriptis. quod autem l. de praen. attinet, summa non minus sufficit ad eas disquisitiones, quas anteposuimus, fulciendas: nam huius libri auctor abhorret a l. de p. m. in vocula *δύνασθαι* raro adhibenda, cum ea quater legatur, a l. de a. a. l. eo, quod perraro usurpat verbum *οἷόν τε εἶναι*, cui usui ne minimum quidem comparari potest eiusdem vocabuli in l. de a. a. l. tractatio.

Priusquam autem quae illa totius capitis parte effecta sunt, paucis comprehendamus, liceat mihi nonnullis verbis leviter perstringere Schmidtti sententiam, qui[1] horum quoque verborum vim accuratiorem definire conatus est. sed ut illae quas statuit, differentiae, quae primo aspectu excellent perspicuitate, recte perspiciantur, necesse videtur nos illas verbotenus excerpere. autumavit igitur voce *δύνασθαι* significari „die physische Kraft, und die Fähigkeit, überhaupt etwas zu leisten“, voce *οἷόν τε εἶναι* „die Fähigkeit, etwas Bestimmtes zu tun oder zu leiden“; quod discrimen illustratur loco quodam libri de praenotionibus conscripti, quem ego quoque supra exscripsi (c. 1. 79. 4. sq.) *καὶ γὰρ οὓς οἷόν τε περιγίνεσθαι ἔτι μᾶλλον ἂν δύναιτο διαφυλάσσειν*, quae verba hoc commentario illustravit: „hier bedeutet *οἷόν τε* die physische Möglichkeit, *δύνασθαι* die in besonderen Umständen begründete Fähigkeit, und zwar

[1] cf. vol. III. pgg. 663. 667.

sind hier jene Umstände gegeben durch die Kenntnisse und Erfahrungen des Arztes“. quid autem ille vir doctus dixisse putandus est, si animadvertisset exemplum, quod in eodem libro eademque pagina legitur (c. 2. 79. 20): hic illa medici experientia significatur verbo *οἷόν τε εἶναι*: recte igitur ille definitioni adnexuit haecce: „aber beide Wörter werden in beiden Beziehungen gebraucht und hätten demnach mit einander vertauscht werden können“. haec paucis mihi exponenda erant, ne quis miraretur me illa exempla non distribuisse secundum notionem artiorem, quae nullo modo statui potest.

Si disquisitiones, quas de verborum usu instituimus, tam late fusas formulis quam brevissimis astringimus, haec est summa: cum singuli libri non solum in verbis dicendi et putandi usurpandis, sed etiam in iis, quibus et facultas et necessitas significatur, plane inter se abhorreant, iam aliquid gravioris momenti nobis videmur invenisse, quo nisi quodcumque illorum scriptorum alii auctori attribuamus. tamen cum in eiusmodi perscrutationibus semper extrema cautione opus sit, ne temeritate propulsi in avia aberremus, tantum adhuc nos abesse putamus a certo satisque firmato iudicio, ut alia argumenta ex vocabulorum usu sumpta necessario accedant, nisi nostra sententia solido fundamento debeat indigere.

B. Postquam ea, quae de verbis varie adhibendis eruenda erant, exposuimus, aptissime traducimus ad disquisitionem, quae nobis de adverbiis instituenda est. cum autem periculum sit, ne nimis exspatiemur, sufficiat e multis unius adverbii tractationem fusius explanare, dico illa vocabula, quibus Graece idem significatur atque Latinorum vocula valde. quod adverbium variis modis reddi potest per *μάλα, μέγα, πάνυ, σφόδρα, κάρτα* et liberius voculis *λίην, ἰσχυρῶς, τελέως*. disputandi materiam non ita parvam sic disponam, ut singulorum scriptorum usum eodem ordine atque antea enodem; deinde, ut auctorum differentia clarius perspiciatur, e re videtur esse singulo vocabulo pro lemmate anteposito omnia cuius libet

generis exempla enumerare. quae non leguntur, iam ex hoc conspectu pellucebit.

I. **P. M.** 1. *μέγα*: c. 19. 23. 16. *κρίσιες . . . μέγα δύνανται.*

2. *ἰσχυρῶς*: c. 3. 4. 11. *πάσχειν . . . ἰσχυρῶς δὲ καὶ τότε.* c. 9. 9. 13. *τὸ τοῦ λιμοῦ μένος δύναται ἰσχυρῶς ἐν τῇ φύσει τοῦ ἀνθρώπου.* c. 12. 12. 23. *ταχέως καὶ ἰσχυρῶς . . . ἀπολαυούσας* (sc. *φύσιας*). c. 16. 19. 1. *ἐκθερμανθῆναί ἰσχυρῶς.* c. 22. 29. 13. *γίνεται δὲ καὶ ὑπὸ φρένας ἰσχυρῶς.*

II. **A. A. L.** 1. *μέγα*: c. 13. 55. 11. *ὅκου δὲ αἱ ὧραι μὴ μέγα διαλλάσσουσιν.* c. 13. 55. 18. *διάφοροι . . . μέγα σφέων αὐτέων.* c. 24, 68. 19. *αἱ μεταβολαὶ . . . μέγα διάφοροι.*

2. *σφόδρα*: c. 4. 38. 4. *ἐκτιτρώσκουσι δὲ σφόδρα.* c. 5. 39. 11. *γυναῖκες . . . ἀρικύμονες σφόδρα.* c. 6. 40. 3. *ὑπὸ τῶν βορείων ἐκκρίνεται σφόδρα.* c. 15. 57. 21. *ὁ δὲ βορέης οὐ σφόδρα ἀφικνεῖται.* c. 22. 64. 23. *οἳ ἂν σφόδρα νοσήσωσι.*

3. *κάρτα*: c. 24. 70. 10. *τὰ ὕδατα κάρτα μετέωρα.*

4. *λίην*: c. 9. 47. 9. *ὁ στόμαχος τῆς κύστιος συμπέφρακται λίην.* c. 9. 48. 5. *θερμόν τε λίην καὶ χολῶδες.* c. 10. 51. 24. *λίην γὰρ ἀναξηραίνονται.* c. 12. 54. 2. *ὑπὸ τοῦ θερμοῦ ἐκκέκαυται λίην.* c. 19. 61. 22. *τὸ δὲ θέρος ὀλίγας ἡμέρας καὶ ταύτας μὴ λίην.*

III. **Praen.** 1. *μάλα*: c. 15. 94. 14. *πτυέλου . . . θανατώδεος ἐόντος μάλα.*

2. *σφόδρα*: c. 2. 81. 2. *σημεῖον . . . θανατῶδες σφόδρα.*

3. *κάρτα*: c. 3. 81. 18. *πόδας . . . μὴ θερμοὺς κάρτα ἐόντας.* c. 3. 82. 8. *ὀλέθριον κάρτα*: idem enuntiati membrum eadem verborum positione exstat in c. 5. 83. 3. — c. 7. 84. 12. *αἵματος ῥῆξις . . . κάρτα ὠφελεῖ.* c. 8. 86. 3. *ὕδρωπες . . . ἐπώδυνοί τέ εἰσιν κάρτα.* c. 11. 88. 18. *ὑδαρὲς δὲ κάρτα.* c. 12. 90. 4. *σωτήριον δὲ κάρτα.* c. 12. 90. 7. *κάρτα φλαῦραι.* c. 13. 91. 12. *ἔμετος . . . μηδὲ πολὺς κάρτα ἐμείσθω.* c. 13. 91. 16. *κάρτα ὀλέθριον ἤδη γίνεται.* c. 14. 92. 10. *χλωρὸν ἐὸν κάρτα.* c. 14. 92. 19. *περιεστικὸν κάρτα.* c. 15. 93. 9. *ὀλέθρια κάρτα.* c. 15. 94. 5. *διψῆν κάρτα.* c. 17. 96. 8. *πιστεύειν αὐτοῖσι χρὴ κάρτα.* c. 18. 98. 4. *τὸ οὖρον παχὺ κάρτα.* c. 19 99. 11. *ὀδύναι ὀλέθριαι κάρτα.* c. 21. 101. 23. *ὀλέθριον κάρτα.* c. 23. 103. 11. *αὗται* (sc. *αἱ κυνάγχαι*, vid. vers. 4.) *ὀλέθριαι μὲν κάρτα.* c. 24. 105. 22. *κάρτα ταχέως ἐμεῖται.*

4. *λίην*: c. 4. 88. 14. *μὴ λίην δυσῶδες.*

5. *ἰσχυρῶς*: c. 3. 81. 22. *σκέλεα . . . συγκεκαμμένα . . . ἰσχυρῶς.* c. 14. 92. 4. *συμμεμειγμένον . . . τὸ ξανθὸν ἰσχυρῶς τῷ πτυέλῳ.* c. 14. 92. 6. *μὴ ἰσχυρῶς συμμεμειγμένον.* c. 15 94. 7. *πλευρὰς θερμὰς ἰσχυρῶς.*

6. *τελέως*: c. 6. 83. 10. *ἱδρῶτες . . . τελέως τοῦ πυρετοῦ ἀπαλλάσσωσιν.*

Spero neminem eorum, qui haec exempla congesta perlegerit, negaturum esse ista adverbiorum disquisitione confirmari iudicium, quod iam ex verborum usu plenius excusso repperimus, illa tria opuscula nullo modo ab uno eodemque scriptore concepta esse: sane caecus sine vultu esset, qui hic assentiri dubitaret. nam suum quisque auctor habet adverbium, quo maxime delectatur, atque ea semper inter se disiunctissima. scriptor enim l. de p. m. adamat voculam *ἰσχυρῶς*, quae in nullo alio libro tam saepe usurpatur et in l. de a. a. l. nusquam legitur, auctor l. de a. a. l. paribus in deliciis habet adverbia *σφόδρα* et *λίην*, quae nusquam alibi tanto numero inveniuntur, quia in l. de p. m. omnino non, in l. de praen. semel usurpantur, auctor denique l. de praen. nimis vocabulum *κάρτα* amplexus est, cum id adverbium, quod in l. de p. m. nusquam, in l. de a. a. l. semel adhibetur, illic vicies exstet, vel si quis accuratius clariusque percipere velit, quantus sit ille numerus: in l. de praen. vocula *κάρτα* sola aequat omnium adverbiorum, quae in ll. de p. m. et de a. a. l. computatis exemplis leguntur, numerum, quia aeque inveniuntur viginti. sed alia quoque pecularia ex ista

exemplorum congerie eliciuntur, quibus confirmantur ea, quae modo exposuimus. in nullo alio libro tam varia adverbia leguntur quam in l. de praen., cum hic omnes, quae usurpari possunt, voculae sola μέγα excepta inveniantur; l. de a. a. l rursus in adverbiorum diverso usu antecedit l. de p. m.: nam hic paene nulla, vel — ut leviore cautioreque verbo utar — perpauca adverbia adhibentur, dico μέγα et ἰσχυρῶς sola; illic quattuor exstant variae voculae, igitur auctor l. de a. a. l. maiore vocabulorum penu usus est, quamvis non exstent vocabula μάλα, ἰσχυρῶς, τελέως.

C. Finem totius commentatiunculae, quam de vocabulorum tractatione conscripsimus, faciat brevissima disquisitio de voculis quae sunt σημεῖον et τεκμήριον earumque vario usu instituta. qua re absoluta omnia, quae in hoc capite effecta sunt, paucis comprehendemus. sed non videtur necessarium nos singulos locos verbotenus excerpere: nam utrum singularis numerus an pluralis, utrum casus vel nominativus vel genetivus an dativus vel accusativus legantur, parum aut nihil ad rem attinet. satis igitur habuimus, numeros locorum solos exscripsisse.

I. **P. M.** 1. σημεῖον: c. 18. 20. 22; c. 20. 25. 14.

2. τεκμήριον: c. 8. 9. 3; c. 17. 20. 11.

II. **A. A. L.** 1. σημεῖον: c. 10. 48. 20.

2. τεκμήριον: c. 8. 44. 14; c. 8. 46. 8; c. 9. 47. 26; c. 16. 59. 4; c. 20. 62. 21; c. 21. 64. 6.

III. **Praen.** 1. σημεῖον: c. 2. 79. 20; c. 2. 80. 5; c. 2. 80. 8; c. 2. 81. 1; c. 2. 81. 4; c. 9. 87. 5; c. 9. 87. 7; c. 10. 87. 21; c. 12. 90. 19; c. 12. 91. 1; c. 12. 91. 9; c. 15. 93. 20; c. 17. 95. 15; c. 17. 96. 8; c. 17. 96. 13; c. 18. 98. 6; c. 19. 99. 12; c. 19. 99. 13; c. 19. 99. 15; c. 20. 100. 11; c. 20. 100. 13; c. 20. 101. 14; c. 20. 101. 16; c. 21. 101. 22; c. 21 101. 23; c. 22. 102. 13; c. 22. 102. 23; c. 23. 103. 2; c. 24. 104. 17; c. 24. 107. 6; c. 24. 107. 9; c. 25. 107. 16; c. 25. 108. 1; c. 25. 108. 4; c. 25. 108. 11.

2. τεκμήριον: c. 17. 97. 14; c. 25. 107. 23.

His exemplis, quamvis sint aridi numeri, optime cognoscitur, etiam in illis vocabulis, quae in Latinum substantivum, quod est signum, quadrant, magno opere singulorum librorum auctores inter se distare; nam in l. de p. m. σημεῖον et τεκμήριον aequaliter exstant, in l. de a. a. l. τεκμήριον, in l. de praen. σημεῖον priorem locum obtinet. notandum etiam videtur, quanta sit voculae σημεῖον in l. de praen. caterva (nam tricies quinquies legitur), si eam conferas cum exiguis eiusdem verbi exemplis, quae in l. de p. m. et in l. de a. a. l. inveniuntur.

Antequam ad secundam huius commentationis partem accedamus, liceat mihi paucis complecti, quae in prima opusculi parte, quae erat de vocabulorum electione, eruta sunt; omnia quotquot inveniuntur discrimina in ipsa capitum singulorum calce collecta sunt. primum tractaveramus usum verborum, deinde adverbiorum, tum substantivorum. his tribus disquisitionibus quam certissime nobis videtur demonstratum esse singula scripta variis adscribenda esse auctoribus minimeque ab eodem viro concepta esse. abhorrent enim, ut graviora nonnulla brevissimis formulis constructis denuo componam, his rebus:

I. **verba:** a) verba dicendi: in l. de p. m. λέγειν eiusdem verbi exempla, quae in ceteris scriptis inveniuntur, longe superat; in l. de a. a. l. solum usurpatur φράζειν; in verbi ἐρεῖν variis formis nonnullae etsi parvae differentiae haud abnuendae sunt

b) verba putandi: ἡγεῖσθαι et οἴεσθαι, quae in nullo alio horum librorum exstant, saepius usurpantur in l. de p. m. accedunt nonnulla leviora discrimina, cum primum in numero exemplorum verbi νομίζειν varient singuli libri, deinde in vocula οἴεσθαι usurpanda duae notiones sint distinguendae.

c) verba, quae necessitatem significant: in l. de p. m. δεῖ, in l. de a. a. l. ἀνάγκη, in l. de praen. χρή omnia alia verba, quorum eadem est notio, superat

d) verba, quae facultatis vim habent: hic quoque nemo auctor non aliud verbum in deliciis habet. nam

in l. de p. m. δύνασθαι, in l. de a. a. l. οἷόν τε εἶναι praeponderare exemplis congestis cognoscitur; is, qui l. de praen. scripsit, a ceteris facile segregari potest, quia ea verba, quibus illi maxime delectantur, perraro usurpavit.

II. **adverbia:** in singulis adverbiis, quae notioni, quae est valde, inserviunt, adhibendis sine ulla difficultate solis numeris inspectis discrimina inveniuntur; nam auctor l. de p. m. ἰσχυρῶς, l. de praen. κάρτα adamare solet, scriptor l. de a. a. l. simili modo voculis σφόδρα et λίην utitur.

III. **substantiva:** in l. de a. a. l. τεκμήριον, in l. de praen. σημεῖον regnat, in l. de p. m. haec vocabula pari numero inveniuntur.

Caput II.

Alterum huius partis caput destinatum est modorum, qui dicuntur, disquisitioni. neque enim sufficeret nos acquiescere in istis, quae in priore capite evicta sunt. nam in eiusmodi indagationibus summa cautela opus est, quia periculum est, ne nonnullis discriminibus excussis argumentationi satis fecisse nobis videamur: certi sumus illis, quae ex verborum differentiis cognovimus, certiores erimus, si etiam diversus modorum usus accedit, certissimi fimus, si in postremo totius commentationis capite auctores in particulis quoque usurpandis longe a se distare intelleximus.

Sed priusquam modorum disquisitionem aggrediamur, paucis liceat adumbrare, quibus rebus in hoc capite inprimis studebimus. primum necessarium videtur nos anteponere nonnulla, quae dicenda sunt de aliorum virorum doctorum, qui corporis Hippocratei modos hic illic perscrutati sunt, scriptis. ab hac parte historica nos vertemus ad nostram disputationem, qua in adornanda eadem atque in priore parte fecimus ratione utemur: praemittemus leviora, graviora finem facient. itaque hic erit argumentationis ordo: primum agemus de imperativo, deinde de infinitivo, tum de illis constructionis formis, quae inveniuntur in verbo τεκμήριον, postremo de enuntiatis temporalibus.

Duo exstant opuscula, in quibus de modorum in libris Hippocraticis usu agitur, dico Kautii[1] et Uthoffii[2] commentationes. sed non plane horum virorum doctorum consilia quadrant in ea, quae nos sequimur. nam Kautius, qui eis temporibus scripsit, ubi adhuc erant, qui scripta genuina Hippocratea exstare autumarent neque scirent paene nihil eorum, quae memoriae essent prodita, ab Hippocrate ipso conceptum esse posse, in disquisitionem vocavit hos quinque libros genuinos: epid. l. I; epid. l. III; de a. a. l.; de victu in acutis; de capit. vuln.; ex iis igitur libris, quos ipse tracto, solum l. de a. a. l. excussit et interdum non satis diligenter.[3] finis autem illius commentationis, quo ille contendit l. de vict. in ac. non conscriptum esse ab eodem Hippocrate, qui reliqua scripta composuisset, nihil ad hanc rem attinet. item Uthoffius, qui etiam particulis operam dedit,[4] alia quam nos scripta disquisivit, dico chirurgica, quae inscribuntur de fractis, de articulis, de capitis vulneribus. si denique eruit l. de cap. vuln. alii medico deberi quam cetera scripta, haec quoque summa nostra non interest. sed non desunt nonnulla, quae nobis quoque utilia sunt quaeque tum, cum de illis rebus agendum erit, in annotatiunculis infra textum positis commemorabimus: nam illorum librorum dicendi genus rursus longe distat ab his, quos selegimus, scriptis. quae ut nuntiarem, etiam brevis de illis opusculis adumbratio e re esse mihi videbatur.

A. initium disquisitionis ipsius capiam ab imperativo, cuius descriptio, cum in l. de a. a. l. nullum inveniatur exemplum cumque in ceteris scriptis perpauci loci exstent, parvo fructu esse potest. sed audiamus singula exempla:

---

[1] Observationes grammaticae de modorum usu in Hippocratis scriptis genuinis. Diss. Gryph. 1876.

[2] Quaestiones Hippocraticae. Diss. Marb. 1884.

[3] cf. supra pg. 39; infra pg. 63.

[4] cf. infra pg. 67.

I. **P. M.** c. 13. 13. 18. ἔστω μοι ἄνθρωπος. c. 13. 13. 20 sq. οὗτος δὲ πυροὺς ἐσθιέτω καὶ πινέτω ὕδωρ. c. 20. 25. 8. οὗτος οὖν μοι ἔστω οἷον.

II. **Praen.** c. 11. 88. 11. τὸ δὲ πλεῖστον ὑπίτω πρωί. c. 11. 88. 14. ὑπόπυρρον δὲ ἔστω. c. 12. 91. 7. μὴ ἐξαπατάτω δέ σε. c. 13. 91. 13. ἔμετος . . . μὴ πολὺς κάρτα ἐμείσθω.

Apparet igitur his exemplis perspectis in numero locorum libros de p. m. et de praen. consonare. solus liber de a. a. l. ab illis distat. praeterea non sine momento est ista duo scripta etiam in exemplorum forma comparari posse, quia fere semper tertia imperativi persona legitur. tamen illam quaestionem proferendam minimeque omittendam esse putavi: nam si tam multa exstant, ubi singuli libri plane a se abhorrent, nihil nocere potest, si interdum similitudines inveniuntur. immo eo validior fit eventus, postquam denuo aliquod dicendi genus perscrutati sumus, in quo plane inter se dissident. sed maximum eiusmodi exemplorum lucrum est nos semper admoneri, ut in istis disquisitionibus ab omni temeritate abstineamus neve leviter iudicemus.

B. Non eramus contenti iis, quae ex imperativi usu concludi poterant. eo maiore afficimur gaudio, quod ex infinitivi vario usu nonnulla efficiuntur, quibus illa de tribus libris sententia confirmatur. disputandi materiam copiosam ita distribuam, ut primum loquar de infinitivo pro imperativo usurpato, deinde de infinitivo cum articulo coniuncto, qui substantivi munere fungitur, tum de nonnullis verbis, a quibus infinitivus pendere potest, dico κίνδυνος, ἐλπίς, εἰκός.

a. Postquam de imperativo egimus, illi quaestiunculae aptissime addimus brevem de infinitivo commentationem, qui pro imperativo usurpatur. sed consentaneum est nobis semper circumspiciendum esse, utrum voculae χρή vel δεῖ, quorum ellipsi illum usum explicari nemo ignorat, prope adsint necne: quod enim nisi fit, facile accidet, ut

magis falsa exempla afferamus quam idonea. quanta exstent discrimina, ex his exemplis collectis optime perspicitur:

I. **P. M.** nullum exstat exemplum.

II. **A. A. L.** c. 7. 43. 8. ὅστις μὲν ὑγιαίνει τε καὶ ἔρρωται, μηδὲν διακρίνειν. c. 24. 71. 8. in fine totius opusculi: ἀπὸ δὲ τούτων τεκμαιρόμενος τὰ λοιπὰ ἐνθυμεῖσθαι.

III. **Praen.** c. 2. 80. 1. ἢν μέν τι τούτων ὁμολογῇ, ἧσσον νομίζειν δεινὸν εἶναι. c. 2. 80. 5. ἢν δὲ μηδὲν τούτων φῇ . . . εἰδέναι τοῦτο τὸ σημεῖον θανατῶδες ἐόν. c. 2. 80. 7. περί τε τούτων ἐπανερέσθαι, περὶ ὧν καὶ πρότερον ἐκέλευσα. c. 2. 80. 17. ταῦτα πάντα κακὰ νομίζειν εἶναι. c. 3. 82. 9. ἕλκος δέ, ἤν τε προγεγονὸς τύχῃ ἔχων . . . καταμανθάνειν . . . c. 12. 90. 21. τὰς λιπαρότητας τὰς ἄνω ἐφισταμένας . . . μέμφεσθαι. c. 12. 91. 1—5. σκοπεῖν δὲ τῶν οὔρων . . . οἷα εἴρηται ἀγαθὰ εἶναι, ἐπαινεῖν . . . οἷα εἴρηται κακὰ εἶναι, μέμφεσθαι. c. 16. 95. 10. ἐρωτᾶν, εἴ τι δοκεῖ βάρος αὐτῷ ἐκκρέμασθαι. c. 17. 96. 15. 19. ἢν μὲν ὁ πόνος ἐν ἀρχῇσι γίνηται . . . ἐς τὰς εἴκοσι ἡμέρας προσδέχεσθαι τὴν ῥῆξιν . . . ἢν δὲ ἡσυχέστερος ὁ πόνος ᾖ . . . τούτοισι προσδέχεσθαι τὴν ῥῆξιν ὕστερον. c. 17. 97. 15. ἐκ πάντων τῶν τεκμηρίων τῶν ἐόντων ἐν τούτοισι τεκμαίρεσθαι. c. 23. 103. 2—3. ἤν τι καὶ ἄλλο σημεῖον ἐπιγένηται τῶν προκεκριμένων . . . προλέγειν ὡς ἐν κινδύνῳ ἐόντος τοῦ ἀνθρώπου. c. 24. 104. 18. ὁκόσοισι δ' ἂν οἱ πυρετοὶ παύωνται . . . ὑποστροφὴν προσδέχεσθαι τούτοισιν. c. 24. 104. 22. ὅστις δ'ἂν τῶν πυρετῶν μηκύνῃ . . . τούτῳ προσδέχεσθαι ἀπόστασιν μετ' οἰδήματος. c. 24. 106. 20. τοῦ αἵματος τὴν ῥῆξιν προσδέχεσθαι. c. 24. 106. 21. τοὺς ἐμέτους τούτοισι προσδέχεσθαι. c. 24. 107. 8. τοὺς περιεσομένους . . . τεκμαίρεσθαι τοῖσι σύμπασι σημείοισι.

Non necesse est singula scripta vehementius, quam hic factum esse vides, a se distare: nam quantopere in infinitivi illius usu, qui iam apud Homerum est tritissimus,

l. de praen. discrepet cum ceteris, nemo non intelleget, cum hic undevicies, in l. de p. m. nusquam, in l. de a. a. l. bis exstet. Kautius quoque[1] nonnulla exempla huc pertinentia collegit, sed non satis diligenter: nam illud exemplum, quod legitur a. a. l. c. 7. 43. 8., plane omisit, aliud, quod invenitur in initio illius libri (c. 1. 33. 18): *ταῦτα δὲ ἐνθυμεῖσθαι ὡς κάλλιστα*, immerito affertur, quia, quamquam in libris vocula *χρή* omittitur, tamen ea a varia lectione illius codicis, quem Gadaldinus Venetianus usurpavit,[2] additur, sicut novissimus editor Kuehleweinius voculam *χρή* verbo *ἐνθυμεῖσθαι* anteposuit; num iure, quaeritur. ego quidem minime eam addendam esse iudico, cum illud *χρή* in superioribus versiculis tam saepe ponatur, ut h. l. quoque facillime subaudiatur (cf. c. 1. 33. 2. *τάδε χρὴ ποιεῖν· πρῶτον μὲν ἐνθυμεῖσθαι τὰς ὥρας τοῦ ἔτεος* . . . et c. 2. 34. 7. in enuntiato, quo primum caput finitur: *καὶ ἀπὸ τούτων χρὴ ἐνθυμεῖσθαι ἕκαστα* . . .). praeterea observatione dignum est in l. de praen. semper a verbis eiusdem significationis illos infinitivos pendere, velut a *νομίζειν* (c. 2. 80. 1; c. 2. 80. 17.), *τεκμαίρεσθαι* (c. 17. 97. 15; c. 24. 107. 8.), *μέμφεσθαι* (c. 12. 91. 1; 6.), *προσδέχεσθαι* (c. 17. 96. 15; c. 24. 104. 18; 22; c. 24. 106. 20; 21.), qui usus aliquid studiosi atque petiti habet, quamvis ea opinio sit anceps, quia certis causis eam fulcire non possumus. postremo, quicumque, quam saepe ille infinitivus ab auctore l. de praen. abhiberetur, recte perspexit, concedet aliquid miri inesse in eo, quod hic scriptor tribus locis (c. 17. 96. 15; c. 12. 91. 5—6; c. 24. 106. 20—21.) in uno enuntiato, paene in eodem versiculo, infinitivum pro imperativo adhibitum deinceps usurpavit, dum in ceteris scriptis perraro invenitur. itaque nobis contigit, ut summum discrimen etiam in modorum usu erueremus. fortasse alia accedent.

[1] l. l. pg. 20.
[2] hunc codicem in textu libri, qui est de aere aquis locis, constituendo interdum non sine ullo fructu esse Kuehleweinius paucis exposuit in praefatione editioni illius libri praemissa pg. 32.

b. Non minus longe auctor, cui debemus l. de praen., in alia infinitivi tractatione a ceteris scriptoribus differt, dico infinitivum cum articulo copulatum, quem substantivi munere fungi omnes inter constat: quae infinitivi forma, in libris chirurgicis[1] usitatissima, in l. de p. m. semel, in l. de a. a. l. semel, in l. de praen. quater legitur. en habes exempla:

I. **P. M.** c. 12. 13. 8. *διὰ τὸ ἐγγὺς τοῦ ἀτρεκεστάτου δύνασθαι ἥκειν.*

II. **A. A. L.** c. 22. 66. 5. *τοὺς δὲ πένητας ἧσσον* (sc. *θύειν τοῖς θεοῖς*) *διὰ τὸ μὴ ἔχειν.*

III. **Praen.** c. 1. 78. 12. *τοῦ προγινώσκειν τὰ μέλλοντα . . . κρέσσον ἂν ἦν.* c. 3. 81. 20. *θανατῶδες δὲ καὶ τὸ κεχηνότα καθεύδειν.* c. 24. 106. 13. *ἀντὶ τοῦ ὀρφνῶδές τι πρὸ τῶν ὀφθαλμῶν φαίνεσθαι.* c. 24. 106. 15. *ἀντὶ τοῦ καρδιώσσειν.* sed casu accidisse puto in hoc libro legi bina exempla variae huius usus formae, dico illum infinitivum putum purum et infinitivum, cui antecedunt praepositiones.

c. Ab his exemplis celerrime prolatis transeamus ad nomina, e quibus infinitivus pendere potest. initium faciat *α. κίνδυνος*. haec exstant exempla:

I. **P. M.** nullum invenitur exemplum.

II. **A. A. L.** c. 2. 34. 17. *ὁκόσα τε ἴδια ἑκάστῳ κίνδυνος γίνεσθαι.* c. 10. 49. 20. *κίνδυνος θανάτους τε γενέσθαι τοῖσι παιδίοισι.* c. 10. 51. 7. *καὶ φαγεδαίνας κίνδυνος ἐγγίνεσθαι.*

III. **Praen.** c. 11. 88. 9. *κίνδυνος λειποθυμῆσαι.* c. 12. 90. 12. *κίνδυνος, μὴ οὐ δυνήσεται ὁ ἄνθρωπος διαρκέσαι.* c. 18. 99. 2. *κίνδυνος γενέσθαι χωλὸν τὸ ἄρθρον.* c. 18. 99. 5. *κίνδυνος γάρ, μὴ παραφρονήσῃ καὶ ἀποθάνῃ ὁ ἄνθρωπος.* c. 22. 102. 10. *παραφρονῆσαι γὰρ κίνδυνος τὸν ἄνθρωπον.*

Quae ex his exemplis concluduntur, sufficiunt, quamquam sunt perpauca: nam in l. de p. m. vocabulum *κίν-*

[1] cf. Uthoff. l. l. pg. 37.

δυνος, quod antecedit enuntiato secundario, non invenitur; si autem legitur, significat periculum atque id periculum, quod aegroto imminet, cum haec vel illa accidunt: eodem sensu semel usurpari verbum *κινδυνεύειν* (c. 8. 9. 1.) in transcursu commemoramus. itaque duo scripta restant comparanda, de a. a. l. et de praen. etiam in his exstant discrimina. nam in l. de a. a. l. post nomen *κίνδυνος* semper sequitur infinitivus, in l. de praen. ex quinque exemplis duo vocabulum *κίνδυνος* coniunctum ostendunt cum insequenti particula *μή*, quae et ipsa eodem iure ponitur atque infinitivus: itaque hic quoque aliquid differentiae statuimus.

β. Transeam ad aliud verbum, quod infinitivus sequi potest, dico *ἐλπίς*: quam voculam Kautius, etsi se omnia „ea exempla, ubi infinitivum subiecti provinciam administrare“ appareret, attulisse indicavit,[1] neglexit. haec sunt quae repperi:

I. **P. M.** nullum exstat exemplum.

II. **A. A. L.** c. 10. 49. 18. *ἐλπίς παύσασθαι καὶ τὸ μετόπωρον ὑγιηρὸν γενέσθαι.*

III. **Praen.** c. 7. 84. 2. *μανῆναι τὸν κάμνοντα ἐλπίς.* c. 9. 87. 8. *τὸ νόσημα . . . ἐς ἀπόστασιν τραπῆναι ἐλπίς.* c. 15. 93. 12. *ἐλπὶς τὸν τὰ τοιαῦτα πτύοντα ἀποθανεῖσθαι.* c. 18. 98. 7. *χρὴ τὰς τοιαύτας ἀποστάσιας ἐλπίζειν ἔσεσθαι.* c. 19. 99. 16. *ἔμπυον ἔσεσθαι πολλαὶ ἐλπίδες τοῦτον.* c. 19. 100. 4. *ἐλπὶς τὸν ἀλγέοντα ἀποθανεῖσθαι.* c. 22. 102. 22. *ἐλπὶς περιγενέσθαι τῷ νέῳ.*

Cognoscitur his exemplis librum de praen. voculam *ἐλπίς* cupidius in usum vocasse quam cetera scripta, quia in l. de p. m. nullum, in l. de a. a. l. unum exemplum exstat.

γ. venio nunc ad extremam disquisitionem, quam institui de illis verbis, quae infinitivus sequitur, quaeque fortasse nobis maiori fructui erit prioribus eiusmodi indagationibus, dico *εἰκός*. haec inveni exempla:

[1] l. l. pg. 22.

I. **P. M.** c. 3. 4. 10. *ἧσσον μὲν οὖν ταῦτα τότε εἰκὸς ἦν πάσχειν.* c. 3. 4. 12. *τοὺς . . . ἀσθενεστέρην φύσιν ἔχοντας ἀπόλλυσθαι εἰκός.* c. 20. 25. 22. *τούτους μᾶλλον κακοπαθεῖν εἰκός.*

II. **A. A. L.** c. 2. 34. 13. *ἃ εἰκός ἐστι γίνεσθαι.* c. 4. 37. 21. *μακροβίους δὲ τοὺς ἀνθρώπους τούτους μᾶλλον εἰκὸς εἶναι τῶν ἑτέρων.* c. 5. 38. 18. *ταύτας εἰκὸς εἶναι ὑγιεινοτέρας.* c. 6. 39. 23. *ἀχρόους τε εἰκὸς εἶναι καὶ ἀρρώστους.* c. 6. 39. 25. *βαρυφώνους τε εἰκὸς εἶναι.* c. 7. 40. 13. *ὁκόσα ἀφ' ὕδατος κακὰ εἰκὸς γίνεσθαι.* c. 7. 43. 18. *ταῦτα καὶ τὴν κοιλίην διαλύειν εἰκὸς μάλιστα.* c. 8. 45. 12. *τότε γὰρ εἰκὸς τοῦτο μᾶλλον γίνεσθαι.* c. 10. 49. 3. *τὸ ἔτος ὑγιαινότατον εἰκὸς εἶναι.* c. 10. 49. 15. *τὰς δὲ δυσεντερίας εἰκός ἐστι γίνεσθαι.* c. 10. 50. 8. *τὰς δυσεντερίας εἰκὸς γίνεσθαι.* c. 10. 51. 14. *καύσους γίνεσθαι εἰκός.* c. 10. 51. 18. *σφακέλους τοῦ ἐγκεφάλου εἰκὸς γίνεσθαι.* c. 12. 54. 5. *τά τε ὡραῖα αὐτόθι πολλὰ εἰκὸς γίνεσθαι.* c. 12. 54. 9. *τὰ . . . κτήνεα εὐθηνεῖν εἰκὸς μάλιστα.* c. 12. 54. 13. *εἰκός τε τὴν χώρην ταύτην τοῦ ἦρος ἐγγύτατα εἶναι.* c. 16. 58. 7. *ἀφ' ὅτων εἰκὸς τὴν ὀργὴν ἀγριοῦσθαι.* c. 16. 58. 19. *τοὺς μὲν γὰρ στρατεύεσθαι εἰκός.* c. 21. 63. 21. *ἀφ' ὅτων ἥκιστα εἰκὸς ἄνδρα οἷόν τε λαγνεύειν.* c. 22. 66. 2. *εἰκὸς γὰρ τοὺς . . . πλουσίους θύειν πολλὰ τοῖς θεοῖς.* c. 23. 67. 4. *ἀπὸ τούτων εἰκὸς καὶ τὴν γένεσιν . . . ἄλλην καὶ μὴ τῷ αὐτῷ τὴν αὐτὴν γίνεσθαι.* c. 24. 68. 20. *ἐνταῦθα εἰκὸς εἴδεα μεγάλα εἶναι.* c. 24. 69. 17. *ἐν ταύτῃ τῇ χώρῃ τὰ εἴδεα εἰκὸς σκληρά τε εἶναι.*

III. **Praen.** nullum exstat exemplum.

Qui illam exemplorum catervam diligenter perspexit, non negabit iis argumenta, quae antea collegimus, confirmari quam vehementissime. etiam leviora illa, quae ex verborum cum infinitivo copulatorum usu adhuc enodavimus, quaeque non aeque aliis nobis profuisse ipsi sumus confessi, ista disquisitione fulciuntur, sustinentur, comprobantur. quod enim melius indagari potuit quam id illa singula scripta a tam diversis concepta esse auctoribus?

nam si *εἰκὸς* in l. de p. m. ter, in l. de praen. nusquam, in l. de a. a. l. vicies ter invenitur, hi libri nullo modo uni auctori deberi possunt, quia tum, cum quis scriptor aliquo verbo nimis delectatur, eo ubicumque pari numero utitur.

C. Priusquam ad eam de modorum usu quaestionem accedam, quam, cum sit gravissima, in fine huius capitis posui, leviter perstringam aliam rem, quae etsi parva non sine momento nobis esse videatur: dico v a r i a s c o n s t r u c t i o n e s, q u a e u s u v e n i u n t p o s t a n t e c e d e n s s u b s t a n t i v u m, q u o d e s t *τεκμήριον*, qua disquisitione simul complentur ea, quae in primae partis calce, ubi de vocabulis *σημεῖον* et *τεκμήριον* varie adhibendis sermo erat (supra p. 48 sq.) ostendimus. inveniuntur autem haec exempla:

I. **P. M.** c. 8. 9. 3. *ταῦτα δὲ πάντα τεκμήρια, ὅτι αὕτη ἡ τέχνη πᾶσα ἡ ἰητρικὴ τῇ αὐτῇ ὁδῷ ζητεομένη εὑρίσκοιτο ἄν.* c. 17. 20. 11. *ἐγὼ δέ μοι τοῦτο μέγιστον τεκμήριον ἡγεῦμαι εἶναι, ὅτι οὐ διὰ τὸ θερμὸν ἁπλῶς πυρεταίνουσιν οἱ ἄνθρωποι.*

II. **A. A. L.** c. 8. 44. 14. *τεκμήριον δὲ μέγιστον· ὅταν ἄνθρωπος ἐν ἡλίῳ βαδίζῃ . . .* c. 8. 46. 8. *τοῦτο τεκμήριον, ὅτι ὑπὸ τῆς πήξιος ἀφανίζεται . . . τὸ κουφότατον.* c. 9. 47. 26. *τεκμήριον δὲ, ὅτι οὕτως ἔχει· τὸ γὰρ οὖρον λαμπρότατον οὐρέουσιν οἱ λιθιῶντες . . .* c. 16. 59. 4. *μέγα δὲ τεκμήριον τούτων· ὁκόσοι γὰρ ἐν τῇ Ἀσίῃ Ἕλληνες ἢ βάρβαροι μὴ δεσπόζονται.* c. 20. 62. 21. *μέγα δὲ τεκμήριον ἐς τὴν ὑγρότητα παρέξομαι. Σκυθέων γὰρ τοὺς πολλοὺς . . . εὑρήσεις κεκαυμένους τοὺς . . . ὤμους . . .* c. 21. 64. 6. *μέγα δὲ τεκμήριον αἱ οἰκέτιδες ποιέουσιν. οὐ γὰρ φθάνουσιν παρὰ ἄνδρα ἀφικνεύμεναι . . .*

III. **Praen.** c. 17. 97. 14. *ἐκ πάντων τῶν τεκμηρίων τῶν ἐόντων ἐν τούτοισι τεκμαίρεσθαι.* c. 25. 107. 23. *εὖ μέντοι χρὴ εἰδέναι περὶ τῶν τεκμηρίων . . .*

Quae ex his exemplis colligi possunt haec sunt: primum in vocula quae est *τεκμήριον* adhibenda singula

scripta a se distant: quod supra plenius exposuimus. deinde gravissimum discrimen mihi videtur in eo positum esse, quod in l. de p. m. post *τεκμήριον* sequitur enuntiatum secundarium, a coniunctione *ὅτι* incipiens, contra in l. de a. a. l., ubi sex exempla universa exstant, haec constructio semel adhibetur (c. 8. 46. 8); aliis enim locis semper vocabulum *τεκμήριον* antecedit enuntiato, quod ex illo verbo minime pendet, sed libere soluteque ponitur: huic constructioni quin etiam aliud exemplum supra laudatum voculam *ὅτι* post *τεκμήριον* exhibens (c. 9. 47. 26) aggregandum sit, minime dubitamus; nam ibi quoque ea, quae scriptori notanda videbantur sententia ex se ipsa aptissima afferuntur. l. de praen. denique omnino non cum illis libris componi potest, quia duobus locis, ubi *τεκμήριον* legitur, medio in enuntiato positum invenitur neque quidquam ex illo vocabulo pendet. Itaque his, quae modo exposuimus, confirmantur ea, quae paene ex omnibus disquisitionibus adhuc allatis didicimus.

D. Accedam nunc ad eam quaestionem, quae inter has omnes maximo nobis lucro erit, dico c o n i u n c t i o n u m, q u a e u s u r p a n t u r i n e n u n t i a t i s t e m p o r a l i b u s, c o n s t r u c t i o n e m: qua re absoluta ad extremam huius commentationis partem transeam, ad particulas. disputandi materiam uberrimam ita disponam, ut primum disseram de coniunctionibus, quae in Latinas voculas d u m, d o n e c, q u o a d quadrant, sed interdum nihil aliud significant nisi q u a m d i u[1]; sunt autem *ἕως, ἔστε, μέχρι* a u t s o l a e a u t c u m p a r t i c u l a *ἄν* c o n i u n c t a e positae; d e i n d e l o q u a r d e v o c u l i s *ὅτε, ὁπότε, ἐπεί, ἐπειδή*, quae cum vo-

[1] quam notionem in coniunctionibus *ἕως* et *ἔστε* quidem apud Herodotum, veteris Iadis principem, crebriorem esse altera docuit Albertus Fuchsius in libro, qui inscribitur: „Die Temporalsätze mit den Coniunctionen bis und solange bis“ in collectione: „Beiträge zur historischen Syntax der gr. Spr.“ fasc. 14. Herbipoli 1902. pg. 73. 74. 75. 79. Sed facere non possum, quin vituperem auctorem huius libelli non sine diligentia conscripti, quod nihil pensi habuerit corpus Hippocraticum.

cula ἄν coalescere solent in ὅταν, ὁπόταν, ἐπάν (ἐπήν), ἐπειδάν: de his solis formis disputabitur.

a. initium igitur capiamus de voculis ἕως similibus. en habes exempla:

I. **P. M.** a. ἕως: nullum exstat exemplum.

b. μέχρι: c. 11. 12. 6. οὐκ ἀνέμεινεν τὸν χρόνον τὸν ἱκανόν, μέχρι αὐτοῦ ἡ κοιλίη τῶν . . . σιτίων ἀπολαύσῃ. c. 19. 22. 2. φλογμὸς ἔσχατος κατέχει, μέχρι ἂν τὰ ῥεύματα πεφθῇ . . .

c. ἔστε: nullum exstat exemplum.

II. **A. A. L.** a. ἕως: c. 4. 38. 10. τοῖς δὲ παιδίοισιν ὕδρωπες ἐγγίνονται ἐν τοῖσιν ὄρχεσιν, ἕως μικρὰ ᾖ. c. 8. 45. 7. ἕως μὲν οὖν διεσκεδασμένον ᾖ (sc. τὸ ὕδωρ) . . . φέρεται μετέωρον. c. 17. 59. 19. μάχονται τοῖς πολεμίοις, ἕως ἂν παρθένοι ἔωσιν. c. 17. 59. 23. παύεται ἱππαζομένη, ἕως ἂν μὴ ἀνάγκη καταλάβῃ παγκοίνου στρατείης. c. 20. 63. 10. τά τε γὰρ ἄρσενα, ἕως ἂν οὐχ οἷά τε ἐφ' ἵππου ὀχεῖσθαι, τὸ πολὺ τοῦ χρόνου κάθηνται ἐν τῇ ἁμάξῃ.

b. μέχρι: c. 17. 59. 20. οὐκ ἀποπαρθενεύονται δέ, μέχρι ἂν τῶν πολεμίων τρεῖς ἀποκτείνωσι.

c. ἔστε: nullum exstat exemplum

III. **Praen.** a. ἕως: c. 12. 89. 18. ἡ ὑπόστασις . . . ὁμαλὴ παρὰ πάντα τὸν χρόνον, ἕως ἂν κριθῇ ἡ νοῦσος.

b. μέχρι: nullum exstat exemplum.

c. ἔστε: c. 12. 90. 9. ἔστ' ἂν δὲ λεπτὸν ᾖ τὸ οὖρον, ἄπεπτον σημαίνει τὸ νόσημα εἶναι c. 12. 90. 13. κίνδυνος μὴ οὐ δυνήσεται ὁ ἄνθρωπος διαρκέσαι, ἕως ἂν πεπανθῇ ἡ νοῦσος. c. 19. 100. 6. ὁ δὲ τρόπος οὗτος . . . τῶν παιδίων ἅπτεται . . ., ἔστ' ἂν πεντεκαιδεκαετέες γένωνται. c. 21. 102. 2. ἔστ' ἂν δὲ ἡ ὀδύνη ᾖ νεαρά, προσδέχεσθαι χρὴ αἵματος ῥῆξιν. c. 23. 104. 6. οἱ γαργαρεῶνες ἐπικίνδυνοι . . . ἀποσχάζεσθαι . . ., ἔστ' ἂν ἐρυθροί τ' ἔωσι καὶ μεγάλοι.

His exemplis multa colliguntur, quae nunc deinceps afferam. primum singuli auctores in eo differunt, quod variis utuntur voculis, a quibus sententiae temporales in-

cipiunt: nam in l. de p. m., qui ea quoque re a ceteris distat, quod perpauca enuntiata eiusmodi constructa leguntur, semper μέχρι usu venit; in l. de a. a. l. haec vocula semel usurpatur, omnibus aliis locis ἕως. in libro de praenotionibus non exstant complures eius notionis voculae, sed illius libri auctor praeter unum locum, ubi ἕως legitur, voculam ἔστε in deliciis habet solam. cui differentiae gravissimae, quae ad verborum electionem pertinet, accedit altera notionum: nam in l. de p. m. μέχρι duobus locis significat donec, in l. de a. a. l. illa vis rarius invenitur, cum inter sex exempla bis (c. 8. 45. 7; c. 17. 59. 20.) legatur. in l. de praen. denique inter sex exempla dimidia pars illius est significationis (c. 12. 89. 18; c. 12. 90. 13; c. 19. 100. 6.). contra ea notio, quae non minus saepe legitur voculae quamdiu, in l. de a. a l. quater usurpatur (c. 17. 59. 19; c. 17. 59. 43; c. 20. 63. 10; c. 4. 38. 10.), dum in l. de praen. pariter atque alia vis invenitur (c. 12. 90. 9; c. 21. 102. 2; c. 23. 104. 6.). contigit igitur nobis, ut iis discriminibus, quae iam inventa sunt, duo nova aggregaremus.

b. Quae differentia, quam statuimus in voculis sententiae temporali antecedentibus, comprobatur aliis, si in vocularum ὅταν, ὁπόταν, ἐπάν, ἐπήν, ἐπειδάν crebritatem inquisivimus. sed antequam singulorum librorum proprietatem excutiamus, audiamus exempla:

I. **P. M.** a. ὅταν: c. 6. 6. 25. ὅταν ταῦτα προσαίρωνται. c. 9. 10. 3. ὅταν ἐν γαλήνῃ κυβερνῶντες ἁμαρτάνωσιν. c. 9. 10. 4. ὅταν δὲ αὐτοὺς κατάσχῃ χειμών. c. 9. 10. 8. οἱ . . . ἰητροί, ὅταν . . . θεραπεύωσιν ἀνθρώπους. c. 9. 10. 13. ὅταν δ' ἐντύχωσι μεγάλῳ . . . νοσήματι. c. 10. 11. 16. ὅταν τάχιστα παρέλθῃ ἡ ὥρη. c. 10. 11. 20. ὅταν δειπνεῖν ἐπιχειρήσῃ. c. 14. 16. 7. ὅταν δέ τι τούτων ἀποκριθῇ. c. 16. 18. 14. ὅταν δ' ἀποκριθῇ. c. 16. 18. 15. ὅταν τὸ ψυχρὸν ἐπιγένηται. c. 16. 18. 24. ὅταν . . . ἔλθῃ ἐς τὴν σκέπην. c. 16. 19. 11. ὅταν περισταλέωσι. c. 16. 20. 1. ὅταν ἱδρώσῃ. c. 18. 21. 7. οὐχ ὅταν τὸ ῥεῦμα γίνηται. c. 19. 22. 10. ὅταν δὲ . . . πεπαίτερα γένηται.

c. 19. 23. 1. *ὅταν πικρότης τις ἀποχυθῇ.* c. 19. 24. 2. *ὅταν πέσσηται.* c. 20. 24. 16. *ὅταν αὐτήν τις περιλάβῃ.* c. 22. 28. 7. *ὅταν πίῃ.* c. 22. 28. 20. *ὅταν δ' ἐγκύρσῃ πλατεῖ τινι.*

b. *ἐπειδάν*: c. 18. 21. 8. *ἐπειδὰν παχύτερον ... ῥέῃ.*

II. **A. A. L.** a. *ὅταν*: c. 8. 44. 14. *ὅταν ἄνθρωπος ἐν ἡλίῳ βαδίζῃ.* c. 8. 46. 4. *ὅταν ᾖ χειμών.*

b. *ὁκόταν*: c. 3. 36. 13. *ὁκόταν τὰ πεντήκοντα ἔτεα ὑπερβάλωσι.* c. 3. 36. 16. *ὁκόταν . . . ἡλιωθέωσι τὴν κεφαλήν.* c. 4. 37. 9. *ὁκόταν αἱ κοιλίαι σκληραὶ ἔωσι.* c. 4. 38. 4. *ὁκόταν δὲ τέκωσι.* c. 7. 41. 27. *ὁκόταν ὁ τόκος ᾖ.* c. 8. 44. 21. *ὁκόταν δὲ ἐς σκιὴν ἀφίκηται.* c. 8. 45. 9. *ὁκόταν δέ κου ἀθροισθῇ.* c. 8. 45. 12. *ὁκόταν τὰ νέφεα . . . ἀντικόψῃ.* c. 8. 45. 23. *ὁκόταν γὰρ ἅπαξ παγῇ.* c. 8. 46. 7. *ὁκόταν δὲ λυθῇ.* c. 9. 47. 12. *ὁκόταν γὰρ θερμανθῇ μᾶλλον.* c. 9. 47. 13. *ὁκόταν δὲ ταῦτα παθῇ.* c. 9. 47. 21. *ὁκόταν οὐρῇ.* c. 10. 49. 6. *ὁκόταν τὸ πνῖγος ἐπιγένηται.* c. 10. 50. 15. *ὁκόταν . . . μὴ συνιστῆται.* c. 12. 53. 19. *ὁκόταν μηδὲν ᾖ ἐπικρατέον.* c. 18. 61. 1. *ὁκόταν δὲ μηκέτι* (sc. *μένωσι*). c. 19. 61. 12. *ὁκόταν ἐπὶ τὰς θερινὰς ἔλθῃ περιόδους.* c. 20. 63. 3. *ὁκόταν δὲ καυθέωσιν.* c. 22. 65. 1. *ὁκόταν γὰρ ἄρχηται ἡ νοῦσος.* c. 22. 65. 2. *ὁκόταν δὲ ἀπορρυῇ τὸ αἷμα.* c. 22. 65. 11. *ὁκόταν δὲ δὶς . . . ἀποβαίνῃ.*

c. *ἐπειδάν*: c. 1. 33. 12. *ἐς πόλιν ἐπειδὰν ἀφίκηταί τις.* c. 8. 45. 1. *ἐπειδὰν ἀναρπασθῇ.* c. 22. 65. 9. *ἐπειδὰν ἀφίκωνται.*

III. **Praen.** a. *ὅταν*: c. 12. 89. 16. *ὅταν ᾖ λευκὴ ἡ ὑπόστασις.*

b. *ὁκόταν*: c. 23. 104. 10. *ὁκόταν δὲ ἀποκριθῇ ἤδη.*

c. *ἐπήν*: c. 22. 102. 21. *ἐπὴν δὲ ῥυῇ λευκὸν ἐκ τοῦ ὠτός.*

Distant igitur illi libri primum in eo, quod variis utuntur coniunctionibus ad eandem rem significandam: nam in l. de p. m. cum maxima exemplorum congerie, qua *ὅταν* exhibetur, non potest comparari unus ille locus, ubi

ἐπειδάν legitur. clare ea re apparet illius libri auctorem in deliciis habuisse *ὅταν*, sprevisse ceteras eiusdem notionis formas. contra in libris de a. a. l. et de praen. ternae nobis praesto sunt coniunctiones, in hoc *ὅταν, ὁκόταν, ἐπήν*, in illo *ὅταν, ὁκόταν, ἐπειδάν*. sed etiamsi consonant illi auctores in tribus voculis usurpandis, tamen summum discrimen inter eos invenitur in vocula *ὁκόταν* adhibenda, quae in l. de a. a. l. vicies bis[1] legitur, quaque haud dubie ille auctor delectabatur. deinde non sine momento est libros de p. m. et de a. a. l. valde a se abhorrere, cum hic *ὁκόταν*, illic *ὅταν* saepius usu veniat. tum notandum videtur, a libris de p. m. et de a. a. l. librum de praen. longe eo segregari, quod illarum vocularum, quas adamant ceteri auctores, singula exempla usurpantur. itaque sine ulla dubitatione etiam ex coniunctionibus temporalibus quam diligentissime excussis refutatur sententia, illos libros ab unius auctoris manu exaratos esse.

Postquam ea, quae de modorum usu indagavimus, fusius exposita sunt, non erit inutile nos omnia, quae effecimus, denuo paucis colligere: non suffecere, quae ex imperativi usu eruimus, quamvis ostendi posset, l. de a. a. l. in hac re distare a ceteris scriptis, quae casu quodam eundem exemplorum numerum exhibebant: igitur aegre ferentes nos ad infinitivum inquirendum vertimus, quam disquisitionem in tres partes distribuimus: in prima in infinitivum, qui pro imperativo ponitur, in secunda in eam imperativi formam, quae cum articulo copulata legitur, in tertia in verba nonnulla inquisivimus, quae infinitivus sequi potest, quam postremam quaestiunculam denuo dispescuimus in tres partes, quarum in prima de vocabulo *κίνδυνος*, in altera de verbo *ἐλπίς*, in tertia de vocula *εἰκός* egimus. haec sunt breviter astricta, quae ex infinitivi disquisitionibus elicuimus:

I. infinitivus pro imperativo usurpatus: primum singuli libri in numero exemplorum valde differunt; deinde

[1] non vicies, ut Kautius contendit l. l. pg. 35.

in l. de praen., qui maximam partem omnium exemplorum exhibet, saepius ex iisdem verbis infinitivi pendent.

II. infinitivus cum articulo coniunctus: in illo infinitivo adhibendo auctor l. de praen. excellit prae ceteris scriptis, cum in his singula exempla legantur.

III. nomina, e quibus infinitivi pendent: quae disquisitio nobis maiori lucro erat ceteris, quae in hoc capite attulimus: nam in voculis *κίνδυνος*, *ἐλπίς*, *εἰκός* usurpandis singuli auctores longe a se distant, cum in l. de p. m. nullum exemplum vocularum *κίνδυνος* et *ἐλπίς*, in l. de praen. nullum exemplum vocis *εἰκός* inveniatur, cum auctor l. de a. a. l. *εἰκός*, l. de praen. *ἐλπίς* cupidius adhibuerit, cum *κίνδυνος* in l. de a. a. l. semper cum infinitivo, in l. de praen. interdum etiam cum insequenti particula *μή* construatur.

Hac re absoluta disquisivimus, quomodo in singulis libris *τεκμήριον* constructum inveniretur: in l. de p. m. illud vocabulum *ὅτι*, in l. de a. a. l. enuntiatum ab eo verbo minime pendens sequebatur, in prognostico nulla propria constructio legebatur. disputandi materiam uberrimam accepimus vocularum, quae adhibentur in enuntiatis temporalibus, disquisitione. hic sufficiat paucis comprehendere, qua vocula imprimis delectati sint singuli auctores: in l. de p. m. *μέχρι*, in l. de a. a. l. *ἕως*, in l. de praen. *ἔστε* primum locum obtinebat; in l. de p. m. *ὅταν*, in l. de a. a. l. *ὁκόταν* praeponderabat.

His omnibus computatis spero me non multum a recta iudicandi via aberraturum esse, si contendam illa tria scripta variis deberi auctoribus: haec quoque summa fuit prioris opusculi partis, qua de vocabulorum electione egimus. si denique in extrema parte totius commentationis, quae destinata est particulis, illud iudicium, quod permultis quaestiunculis quam accuratissime latissimeque institutis de singulorum librorum indole nobis ferendum videbatur, confirmabitur, fieri non potest, quin iudicum animos commoveam, ut meae sententiae accedant comprobentque me non irrita sine effectu, sed efficacia collegisse.

Caput III.

Tempus est festinare ad finem huius commentationis: extremas quaestiones instituamus de particularum nonnullarum usu. priusquam autem rem ipsam aggrediamur, e re videtur esse ostendere illis disquisitionibus tum imprimis multum tribuendum esse, cum agitur de aliqua quaestione ad litterarum historiam pertinente. quod tum optime fieri putamus, si brevi perstringimus, quae a viris doctissimis ea ratione iam eruta et in quas res ea methodo usi sint. a particularum disquisitionibus ortus est Campbellius in nonnullis scriptis Platonicis, dico Politici (Oxon. 1867) et rei publicae (Oxon. 1894) editiones: cui viro docto Britannico adstipulatus est Dittenbergerus nostras, qui in Hermae vol. XVI. inde a pg. 321 eam rationem adhibuit, ut certum iudicium ferret de quibusdam scriptis Platonicis, quem rursus secuti sunt Schanzius aliique. porro Adalbertus Roquettius in libro, quem conscripsit de Xenophontis vita,[1] eandem viam ingressus est:[2] itaque non in menda nos irruisse putamus, si secundum illorum virorum doctorum rationes particularum usu diligenter excusso de hac quaestione iudicabimus. tamen hoc notandum est, aliquantum differentiae exstare inter illos et me ipsum: Dittenbergerus enim et Roquettius illa ratione usi sunt eo consilio impulsi, ut elicerent, quibusnam temporibus singula unius auctoris scripta concepta essent: cui rei chronologicae nos non operam damus, cum quaestiones instituerimus non de cuiusvis scriptoris aetate certius indicanda, sed de nonnullorum scriptorum, qui unius auctoris nomine circum-

[1] diss. Regimontana 1884.

[2] memoratu dignum videtur hanc rationem etiam in nonnullis disquisitionibus, quibus litteris Germanicis opera datur, adhiberi, velut a Rittero in annalium Goetheanorum vol. XXIV, ubi inde a pg. 185 ad 203 complura eiusdem generis afferuntur, ut eliciatur, cui tandem librorum censurae attribuendae sint, quae a. 1772 promulgabantur in ephemeridibus, quarum inscriptio erat „Frankfurter Gelehrte Anzeigen“, utrum Goethio an Merckio an Schlossero.

feruntur, seu similitudinibus seu dissimilitudinibus, ut exstant in dicendi genere: quae quaestio mihi quidem paulo facilior tutiorque videtur quam illa supra commemorata, cui semper aliquid ancipitis et petiti inerit.

Cur autem eiusmodi indagationibus tanta a tam multis hominibus eruditis fides habetur? nam inconsulto hoc factum esse nemo sibi finget. quod si quis quaerit, haec respondenda sunt: nihil aliud tam idoneum est, quod legentium animos introducat in cuiusvis scriptoris mentem cogitationesque quam ipsae particulae. nam illis tenuibus mobilibusque voculis, si scite adhibentur, efficitur, imprimis in Graecorum scriptis, ut et subtilior venustiorque exeat oratio et vividior variorque fiat scribendi genus. quin etiam, si quis vellet translatione uti, dixerit verba enuntiataque ex verbis singulis composita quasi corpus ipsum esse, quod particulis tamquam nervis fulciatur atque sustineatur. itaque nos quoque has quaestiunculas plurimum in illa, quam tractamus, re valere putamus, quam ob rem eas in fine totius opusculi posuimus. recte de illarum vocularum gravitate iudicavit Uthoffius,[1] quamquam non satis ponderis suae sententiae indidit, dicens particulis, quia sermoni „quasi colorem quendam adderent" praeter omnia rationem habendam esse. eandem in hac re indaganda viam ingrediar atque in aliis disquisitionibus, quae in hoc opusculo sunt prolatae: monstrandum mihi erit, quae varietates, similitudines, dissimilitudines ante oculos nobis ponantur: cum autem, ut totam disquisitionem instituerem, commotus sim ea observatione, quod novissimum Hippocratis editorem rem non semper acu, sed levi bracchio tetigisse intellegerem, quia ille in libris de p. m. et de praen. codicibus Parisinis magis quam Marciano usus est in textu constituendo, interdum fortasse mihi continget, ut nisus in eiusmodi leviculis disquisitionibus unum vel alterum locum, de quo ambigitur, emendem.

Sed nondum fieri potest, ut in medias res eamus: nam

[1] l. l. pg. 41.

quam brevissime necesse est commemorem, quae ad id tempus opuscula de illa materia promulgata sint, et quomodo, si ex nostra ratione exeas, de iis iudicandum sit. primus Kuehleweinius de illis voculis edidit opusculum haud contemnendum, quod inscribitur „Observationes de usu particularum in libris, qui vulgo Hippocratis nomine circumferuntur"[1]: quae commentatio diligentissima nobis non multum profuit, quia de rebus inter se disiunctissimis egimus et ille et ego ipse. ille enim, id quod opus erat, quia particulas solas excussit, permultos libros perscrutatus est, quo in numero etiam insunt ll. de p. m., de a. a. l, de praen.; ego autem haec opuscula tractavi disquisitionibus tripertitis eisque variis. nonnullis annis post Uthoffius, quem supra[2] commemoravimus, edidit libellum, cuius inscriptionem iam antea nominavi: quo in opusculo inde a pg. 17 ad 28 in selectarum particularum usum inquisivit. qui cum in disceptandi materia non plane mecum consentiat, quia longe aliis operibus Hippocraticis operam dedit, et quia ille has, ego illas particulas selegit, parum nobis utilitatis attulit. Schneiderus denique, qui, quantum video, ut novissimus talibus quaestiunculis se dedidit,[3] in numero scriptorum, quae selegit, etiam illis tribus indagandis incubuit: tamen a me perraro laudabitur, quia tantum pars totius commentationis apparuit, qua parte egit de particulis copulativis.

Iam in prioribus commentationis partibus non inutile mihi visum est omnia exempla a me collecta proferre: nam qui, utrum rectum de illa re iudicium feramus necne, et ipsi velint cognoscere, illis necesse est praesto sit tota disputandi materia, quam, ut arbitri ipsi examinandi causa cumulent, nemo postulabit, quia id nisi summa et laboris et temporis impensa fieri non potest. tamen non prorsus ita egi, ut antea: nam satis habui, postquam omnes locos,

[1] Diss. Gotting. 1870.
[2] cf. pg. 51.
[3] Quaestionum Hippocratearum specimen, Diss. Bonn. 1885.

qui hanc vel illam particulam, hoc vel illud notionum discrimen exhibent, cum numeris attuli, de particularum vi et genuina et abusiva pauca protulisse eaque selectis exemplis, sed nunc verbotenus excerptis, illustrasse. disserendi materiam copiosissimam ita dispertiam, ut e particulis has sex, quas ad usum penitus perscrutandum mihi elegi, tractem: *δή, δήπου, πέρ, οὖν, γέ, τέ . . . καί*, de quibus particulis postremis quam uberrime in quattuor partibus dicemus.

A. Ordiamur igitur a particula *δή*, quae tum adhibetur, cum significatur aliquam rem apertam claramque neque de ea dubitandum esse:[1] quae notio principalis nihil miri habet, quia particula cum adiectivo *δῆλος* cohaeret. usurpatur autem variis modis: sed priusquam de istis discrepantiis verba faciemus, omnia deinceps exempla enumerabo:

I. **P. M.** c. 3. 4. 16; c. 5. 6. 15; c. 6. 7. 12; c. 7. 8. 3; c. 8. 9. 3; c. 13. 14. 2; c. 13. 14. 12; c. 15. 17. 13; c. 16. 18. 15; c. 18. 21. 4; c. 19. 23. 1.

II. **A. A. L.** c. 15. 57. 10; c. 22. 65. 24: ex Coraësii coniectura probabilissima eaque a Kuehleweinio optimo iure accepta.

III. **Praen.** c. 23. 104. 10.

His exemplis pellucet l. de p. m. in particula *δή* usurpanda longe distare a ceteris, qui singulum exemplum exhibent, si quidem illud exemplum, quod in l. de a. a. l. coniectura introductum est, abduximus solamque codicum memoriam sequimur. nunc pauca exponentur de illius particulae vario usu primum invenitur in illis enuntiatis primariis, quibus aliquid contenditur; deinde in illis, quibus brevissime comprehenduntur, quae nonnullis sententiis ante demonstrata erant; tum in enuntiatis secundariis velut in condicionalibus; postremo in quaestionibus a voculis *τίς*,

[1] cf. W. Baeumlein, „Untersuchungen über gr. Partikeln" Stuttg. 1861. pg. 98. 103. 106. 111. Kuehner, „Gr. Gramm." II_2^2 pg. 681—682 (II_2^3 pg. 127—128).

τί ceteris incipientibus quod autem positionem attinet, particula maxime sequitur id verbum, quod cum sit gravissimum, fortiter praedicandum est; tum demum anteponitur illi verbo, cum articulus et praepositio accedunt. haec quae modo attuli, aptissimis exemplis e libro de p. m. depromptis illustrantur. plurima exempla leguntur, ubi aliquid concluditur ex sententiis antecedentibus, velut c. 3. 4. 16. *διὰ δὴ ταύτην τὴν αἰτίην οὗτοί μοι δοκέουσι ζητῆσαι τροφὴν ἁρμόζουσαν τῇ φύσει*: (quo exemplo intellegitur non semper rectam esse legem a Baeumlinio constitutam, *δή* sequi pronomina demonstrativa).[1] c. 6. 7. 12. *πάντα δὴ τὰ αἴτια τοῦ πόνου ἐς τὸ αὐτὸ ἀνάγεται.* c. 8. 9. 3. *ταῦτα δὴ πάντα τεκμήρια* . . . tria exempla exstant, ubi *δή* insequitur pronomina interrogativa (c. 13. 14. 2; c. 13. 14. 12; c. 7. 8. 3) velut c. 7. 8. 3. *τί δὴ τοῦτο ἐκείνου διαφέρει*; c. 13. 14. 2. *τί δὴ χρὴ βοήθημα παρεσκευάσθαι ὧδ' ἔχοντι*; interdum quoque enuntiata condicionalia leguntur velut c. 15. 17. 13. et c. 18. 21. 4.[2] cf. 15. 17. 13. *εἰ δὲ δὴ τυγχάνει τι θερμὸν ἐὸν στρυφνόν* . . . commemoratu dignum videtur exemplum, quod invenitur in c. 16. 18. 15, quia ex illo ponendi proprietas cognoscitur: *ἐν δὲ δὴ τούτῳ τῷ καιρῷ.* in hoc enim exemplum quadrant, quae Baeumlinius exposuit pg. 101 sub littera c, *δή* tum anteponi, cum accederent et praepositiones et articulus. notandum

[1] l. l. pg. 101. c.

[2] h. l. displicet mihi, quomodo Kuehleweinius interpunxerit; qui totum enuntiatum ita scripsit: *συγκαίει θερμήν τε καὶ διάπυρον ἐσχάτως, ἢν δὴ τὴν χεῖρα προσφέρῃς· κἢν πλείω χρόνον παρῇ, καὶ ἐξελκοῦται κτλ.* quam lectionem si sequimur hic est sensus: ‚humor nasum comburit calidum et incensum quam maxime, si manum admoveris'. mihi autem enucleatius videtur, si cum Ermerinsio et Littréo post *ἐσχάτως* non commate, sed puncto distinguimus et verba *ἢν δὴ τὴν χεῖρα προσφέρῃς* ad insequentia pertinere iudicamus. tum hic est sententiarum conexus: ‚humor nasum comburit: verum si manum admisisti et humor ille diutius insistit, etiam locus carnis expers ulceratur'. hoc modo exaggeratio formatur, quae mihi quidem menti scriptoris et toti disputationi accommodatior videtur. sed melius fortasse pro vocula *δή* per coniecturam huc introductam quod traditur *δέ* reponitur.

denique videtur, nullum exemplum legi, ubi δή cum adverbiis, quae vocantur modalia, et coniunctionibus copulatur, quamvis saepe illud alibi velut apud Platonem usu veniat.

B. Particulae δή aptissime asseritur pusilla particulae δήπου disquisitio. sed antequam in illius particulae sensum peculiarem excurram, praemittenda sunt exempla:

I. **P. M.** c. 14. 14. 22; c. 14. 15. 12; c. 16. 18. 10; c. 19. 22. 13.

II. **A. A. L.** et III. **Praen.** nullum exstat exemplum.

De particulae δήπου vi genuina optime disputavit Baeumlinius[1] dicens significari rem apertam contendenti quidem, aliis non item. sed aptius illius notionem adumbravit Kuehnerus,[2] cuius praestantem interpretationem ad verbum afferre mihi liceat: „δήπου, sicherlich wohl, vereinigt in sich zwei ... einander widersprechende Bestandteile: Versicherung und Zweifel"; quadrat autem in Latinum adverbium scilicet. exempla, quae in l. de p. m. leguntur, omnia velim excerpere, quia quomodo vocula δήπου posita sit, notandum est: c. 14. 14. 22. οἶδα μὲν γὰρ καὶ τάδε δήπου; c. 14. 15. 12. οὐδὲ ἀγαγκαιότερα εἴη εἰδέναι δήπου. c. 16. 18. 10. ὃν μὲν ἂν δήπου χρόνον μεμιγμένα ... ἐνῇ. c. 19. 22. 13. δεῖ δὲ δήπου ταῦτα αἴτια εἶναι. cognoscitur bis positam esse particulam in fine, bis in medio enuntiato: quae cum ita sint, non potest disceptari, utrum haec vel illa auctori magis placuerint. sed hac re minime angimur: nam cum in l. de p. m. solo haec particula exstet, in ceteris autem libris illius voculae nec vola nec vestigium inveniatur, mihi contigit, ut haud parvum discrimen eruerem.

C. Quibus particulis, quarum notioni aliquid cumulati exaggeratique inesse intelleximus, optime aggregatur voculae περ, utut invenitur composita, adumbratio. haec habeo exempla, quae statim certo ordine exscribam: anteposita

[1] l. l. pg. 107.
[2] l. l. II_2^2 pg. 684; (II_2^3 pg. 131).

sunt, quae cupidius in usum vocantur; sequuntur, quae rarius inveniuntur.

I. **P. M.** a. ὥσπερ: c. 1. 1. 17; c. 1. 2. 2; c. 3. 4. 14; c. 9. 9. 5; c. 14. 15. 15; c. 14. 16. 13; c. 15. 17. 4; c. 15. 17. 20; c. 16. 19. 3; c. 16. 19. 14; c. 21. 26. 5; c. 22. 28. 5; c. 24. 30. 4.

b. relativa: α. ὅπερ: c. 1. 1. 13; c. 5. 5. 22; c. 20. 25. 19. β. οὗπερ: c. 16. 15. 22. γ. ὅνπερ: c. 5. 6. 5; c. 19. 22. 19. δ. ἅπερ: c. 3. 3. 12; c. 3. 3. 16; c. 10. 24. 10 (καθάπερ). ε. οἷάπερ: c. 3. 4. 7; c. 11. 12. 20.

c. εἴπερ: c. 20. 24. 21; c. 24. 30. 10.

II. **A. A. L.** a. ὥσπερ: c. 1. 33. 10; c. 18. 60. 16; c. 19. 61. 8; c. 20. 63. 8; c. 22. 66. 8.

b. alia: c. 5. 39. 5 (ᾗπερ); c. 17. 59. 22 (ἥπερ)

III. **Praen.** a. ὥσπερ: c. 10. 87. 13; c. 11. 88. 11; c. 24. 105. 11; c. 25. 107. 18.

b. relativa: c. 11. 88. 2 (ἥνπερ); c. 24. 107. 7 (οἷάπερ).

Quae ex illis particulae περ exemplis colligi possunt, breviter exponam, postquam de illius vi peculiari nonnulla protuli: eius quoque vis habet aliquid augendi, quod Baeumlinius optime ita definivit:[1] „der Satz, dem περ beigegeben wird, erhält durch diese Partikel die stärkste, objektivste Giltigkeit". usurpatur autem variis modis, de quibus fusius disserere longum est. nostra enim hic solae tres notionis varietates intersunt, dico eas, ubi cum ὡς, cum relativis, cum εἰ coniuncta legitur. quarum constructionum, quia apud omnes scriptores Graecos cumulate leguntur, sufficiant singula exempla, quae ex libro de p. m. expromam; nam quaecumque collegi me effundere, non videtur necesse. c. 5. 5. 22. ὅπερ ἐν ἀρχῇ εἶπον. c. 16. 19. 3. διατριβὴν ποιεῖσθαι ὥσπερ διεψυγμένος. c. 20. 24. 21. εἴπερ τι μέλλει τῶν δεόντων ποιήσειν. semper autem memoria tenendum est particulae vim exaggerandi interdum apud Atticos saepius evanuisse. quae si menti

[1] l. l. pg. 198. cf. etiam Kuehnerum l. l. pg. 730; (II_2^3 pg. 168).

inculcantur, haec erit summa, quae ex exemplis capi potest: librum de p. m. et notionum varietate et significationis ὥσπερ multitudine longe abhorrere a ceteris: nam in l. de p. m. particula περ cum vocula ὡς, ubi voculae περ vim genuinam maxime deminui nemini ignotum est, decies ter, in l. de a. a. l. quinquies, in l. de praen. quater invenitur. si denique animadverteris voculam περ in l. de p. m. omnibus notionum diversitatibus computatis multo saepius usu venire quam in ceteris scriptis, cum hic decies ter, illic vicies sexies inveniatur — numerus igitur duplicatus occurrit: id quod valde mihi premendum videtur — hic quoque summum discrimen investigavimus; quin porro ll. de a. a. l. et de praen. non plane consentiant in particula περ adhibenda, nemo dubitabit, qui intellexit, quam varie usurpata sit particula in illis: nam relativa cum περ copulata in l. de a. a. l., adverbia velut ᾗπερ et coniunctionem disiunctivam cum περ coniunctam velut ἤπερ in libro de praen. frustra quaeres.

D. Harum particularum in variis libris usu indagato ad voculam οὖν depingendam properemus, quae disquisitioni summo fructui videtur futura esse, quia tam variis compositionibus usurpatur. sed hic quoque non aberrabimus ab ea ratione, quam adhuc ingressi sumus: descriptio accuratior sequatur exemplorum catervam copiosam:

I. **P. M.** a. οὖν: c. 2. 3. 7; c. 7. 7. 16; c. 14. 15. 11; c. 16. 20. 2; c. 19. 22. 15; c. 20. 25. 8; c. 21. 26. 15.

b. μὲν οὖν: c. 2. 2. 24; c. 3. 4. 10; c. 3. 4. 19; c. 17. 20. 16; c. 22. 27. 2.

c. γοῦν: c. 4. 5. 15; c. 5. 6. 3.

II. **A. A. L.** a. οὖν: c. 8. 46. 11; c. 9. 47. 3; c. 14. 56. 12.

b. μὲν οὖν: c. 5. 38. 12; c. 7. 40. 15; c. 8. 45. 7; c. 9. 46. 14; c. 10. 48. 16; c. 10. 50. 7; c. 12. 53. 8; c. 13. 54. 20; c. 15. 56. 19; c. 18. 60. 21; c. 22. 64. 12; c. 22. 65. 5; c. 23. 66. 23; c. 24. 68. 12; c. 24. 70. 5.

III. **Praen.** a. οὖν: c. 1. 78 18; c. 15. 94. 13; c. 16. 95. 4; c. 19. 99. 12; c. 20. 101. 16; c. 22. 102. 11; c. 25. 108. 4.

b. μὲν οὖν: c. 7. 84. 22; c. 8. 86. 5; c 17. 96. 7; c. 20. 100. 14.

Priusquam de particulae οὖν significatione eiusque differentiis verba faciam, periclitemur, utrum iam ex exemplorum numeris aliquid colligere nobis liceat necne. non tam grave momentum videtur esse singulos libros a se distare particulae οὖν eiusque variarum notionum usu, cum ratione computata in l. de p. m. quattuordecim, in l. de a. a. l. duodeviginti, in l. de praen. undecim exempla inveniantur, quamvis aliquid discriminis etiam in hac re latere non negaverim. sed multo maiorem vim ei rei attribuendam esse contendo, quod tria illa scripta a se abhorrent, si, quavis forma οὖν usu veniat, observavimus. nam γοῦν, ubi duo particulae, γε et οὖν, in unam coaluerunt, nisi in l. de p. m. scriptum non invenitur. praeterea notatu dignum est libros discerni posse vario solius particulae οὖν et illius voculae cum μέν copulatae usu. nam οὖν saepissime usurpatur in libris de p. m. et de praen., ubi septena exempla in quovis libro exstant, rarius in l. de a. a. l., ubi tria leguntur. contra μὲν οὖν cupidissime in usum vocatur in l. de a. a. l., cum quindecim exempla inveniantur, quo cum numero neque libri de p. m neque libri de praen. scribendi genus componere licet, quia, si illius coniunctionis exempla omnia computantur, novem efficiuntur, cum quater in l. de praen., quinquies in l. de p. m. adhibeatur: itaque quivis videt in l. de a. a. l. dimidio maiorem partem exemplorum, quae pertinent ad illud genus, usurpari. sic siccis numeris scriptorum in dicendi consuetudine varietas optime illustratur.

Hac computatione non iucunda, sed perutili finita nonnulla exponemus de particulae οὖν eiusque variarum formarum significationibus, quae exemplorum aptissimorum delectu explanabimus.

Particula οὖν ipsa, si sola ponitur, has habet notiones: primum[1] ea, quae supra exposita sunt, excipiuntur et colliguntur, cf. d. p. m. c. 2. 3. 7. *καὶ διὰ ταῦτα οὖν ταῦτα*

---

[1] cf. Baeuml. l. l. pg. 177; Kuehner II_2^2 pg. 708; (II_2^3 pg. 155).

οὐδὲν δεῖ ὑποθέσιος, in fine capitis. de a. a. l. c. 8. 46. 11. *ταύτῃ οὖν νομίζω πονηρότατα ταῦτα τὰ ὕδατα εἶναι*, postquam toto capite octavo auctor disseruit de aquis et pluvia et nivali. de praen. c. 20. 101. 16. *ὡς οὖν τούτων προγινωσκομένων συμβάλλεσθαι χρή*, i. e.: „quae cum in hunc modum, sicut supra exposui, praedicta sunt, coniectare oportet.“ [1]

Transeamus ad aliam voculae *οὖν* notionem, quae non plane congruit cum illa, de qua adhuc disputavimus. superius aliquid excipitur, sed eo consilio, ut diligentius atque copiosius exponantur vel explicentur, quae auctor antea leviter adumbraverat; colligere quoque auctor ex iis potest, quae antea exposuit:[2] p. m. c. 7. 7. 16 sqq. *τί οὖν φαίνεται ἑτεροῖον διανοηθεὶς ὁ καλεύμενος ἰητρὸς καὶ ὁμολογεομένως χειροτέχνης, ὃς ἐξεῦρε τὴν ἀμφὶ τοὺς κάμνοντας δίαιτάν τε καὶ τροφήν*, postquam in capitibus quinto et sexto multa allata sunt de hominum sanorum aegrotorumque et cibo et victus ratione. a. a. l. c. 9. 47. 3. *ὑφίστασθαι οὖν τοῖσι τοιούτοισι ἀνάγκη ἐν τοῖς ἀγγείοις ἰλὺν καὶ ψάμμον*: hic *τὰ τοιαῦτα* recedit ad capitis noni initium, ad versiculos 17—19 paginae 46 (*ὕδατα . . . καὶ ἀπὸ ποταμῶν μεγάλων . . . καὶ ἀπὸ λίμνης*). nam de aquis fluvii stagnique in hac capitis parte sermo est: hic tantum additur eis aquis in vasibus effici lutum arenamque. de praen. c. 16. 95. 4 sq.: *ἐξ οὖν τούτου τοῦ χρόνου χρὴ προσδέχεσθαι τοῦ πύου ἔσεσθαι τὴν ῥῆξιν*: in capite 16 nonnulla exponuntur de purulentationibus; quo autem tempore rumpantur, nunc demum dicitur.

Sed aliquanto saepius quam illae notiones usurpatur *οὖν*, si nihil aliud scriptor ostendere velit nisi hoc insequentia cum

[1] h. l. fortasse cum codicibus M et V scribendum esset *οὕτω οὖν τούτων γινομένων*, i. e. „quae cum ita fiant“, nisi Lachmanni praeceptum obstaret lectionem rariorem maxime esse meliorem. sed tamen, utrum Kuehleweinius recte iudicaverit sequens codicem C[1] (Parisinum 446), in suspenso relinquam. mihi quidem magis placent, quae Marcianus exhibet verba.

[2] cf. Baeuml. l. l. pg. 179.

antecedentibus cohaerere;[1] tum voculae vis valde diminuta est, ita ut quadret in nostram particulam vernaculam, quae est „nun“. cuius usus tritissimi exempla haec sunto: p. m. c. 19. 22 15. *ὁπόσα οὖν ἀπ' αὐτῆς τῆς θέρμης ἢ ψύξιος γίνεται* . . . a. a. l. c. 14. 56. 12. *εἰ οὖν γίνονται ἐκ φαλακρῶν φαλακροί* . . . praen. c. 19. 99. 12. *προσέχειν οὖν δεῖ τὸν νόον καὶ τοῖσιν ἄλλοισι σημείοισι.*

Priusquam in particularum copulatarum *μὲν οὖν* significationem fusius excurram, brevi perstringam voculae *γοῦν* notionem, quam optime enucleavit Baeumlinius,[2] cuius verba ipsa afferre mihi liceat; dixit voculae *γοῦν* esse „zur Bestätigung des vorangehenden einen besonders treffenden Beleg zu geben oder einen Beleg, in welchem jedenfalls und wenigstens die vorangehende Aussage sich bewährt“: cuius particulae, cum perraro inveniatur, omnia, quae enotavi, exempla excerpam: p. m. c. 4. 5. 15. *ἔτι γοῦν καὶ νῦν οἱ τῶν γυμνασίων τε καὶ ἀσκησίων ἐπιμελόμενοι ἀεί τι προσεξευρίσκουσιν*: eodem modo — hoc enim subaudiri vult auctor — atque medici semper aliquid novi eruunt. p. m. 5. 6. 3. *ἔτι γοῦν καὶ νῦν ὅσοι ἰητρικῇ μὴ χρέονται . . . διαιτέονται πρὸς ἡδονήν*: antea dixerat auctor, neminem medicinam quaesiturum fuisse, si et morbosis et sanis eadem victus ratio convenisset; quae opinio confirmatur barbarorum nonnullorumque Graecorum exemplis.

Huius de particula *οὖν* commentatiunculae finem faciant nonnulla, quae de voculis *μέν* et *οὖν* coniunctis mihi dicenda sunt. primum[3] his voculis antecedentia terminantur atque colliguntur, priusquam scriptor ad ea, quae sequuntur, transgrediatur: cf. p. m. c. 17. 20. 16. *τὰ μὲν οὖν λυμαινόμενα ταῦτ' ἐστιν.* dixerat de amaro et calido, de calido et acido, de salso et calido aliisque humoribus, qui hominibus dolorum sunt auctores: nunc demonstratur etiam calidum solum aliquam vim habere. cf. a. a. l. c. 23. 66. 23. *περὶ μὲν οὖν τῶν Σκυθέων οὕτως ἔχει τοῦ γένεος*:

[1] cf. Baeuml. l. l. pg. 182.

[2] cf. Baeuml. l. l. pg. 188; Kuehner, l. l. II_2^2 pg. 709; (II_2^3 pg. 156).

[3] cf. Baeuml. l. l. pg. 178; Kuehner, l. l. II_2^2 pg. 711; (II_2^3 pg. 158).

disputatio, quam scriptor habuit de Scythis, finita est; transgreditur ad aliam gentem, quae in Europa habitat. cf. praen. c. 7. 84. 22. *ὁκόσα μὲν οὖν ἐπώδυνά τέ ἐστιν καὶ σκληρά*: nonnullis versiculis ante sermo erat de tumoribus mollibus et dolorum expertibus, his verbis auctor transgreditur ad tumores, qui simul sunt dolorosi et duri. sed hic quoque particularum illarum vis genuina potest deminui: nam saepius *μὲν οὖν* voculae usurpantur, ubi transitioni et quasi exordio illius explicationis, quae sequitur, inservit.[1] cf. p. m. c. 2. 2. 24. *αὐτοὺς μὲν οὖν τὰ σφέων αὐτῶν παθήματα καταμαθεῖν . . . δημότας ἐόντας οὐ ῥηΐδιον*, ubi particulam *μὲν οὖν* in vernaculam particulam „nun“ quadrare nemo non videbit: a. a. l. c. 10. 50. 7. *τοῖσι μὲν οὖν φλεγματίῃσι τὰς δυσεντερίας εἰκὸς γίνεσθαι*, ubi voculis *μὲν οὖν* describitur aliud aegrotorum genus, ii, qui cum sint pituitosi, facile in dysenterias incidunt cf. praen. c. 8. 86. 5. *ὁκόσοισι μὲν οὖν ἐκ τῶν κενεώνων αἱ ἀρχαὶ καὶ τῆς ὀσφύος γίνονται . . . οἱ πόδες οἰδέουσιν*: antea scriptor in universum de aqua intercute locutus est; nunc verbis modo laudatis peculiare aliquod illius morbi genus describit. haec sunt, quae de particulae *οὖν* variis notionibus deque consuetudine, qua singuli auctores illa utuntur, proferenda erant.

E. Iam nonnulla exponam de voculae *γε* et usu, quomodo in singulis libris inveniatur, et significatione. postquam exempla, quot leguntur, enumeravimus, videamus, quid ex illa collectione concludendum sit.

I. **P. M.** c. 3. 5. 7; c. 4. 5. 13; c. 5. 6. 13; c. 7. 8. 4; c 9. 10. 1; c. 12. 12. 22; c. 13. 14. 11; c. 13. 14. 14; c. 15. 17. 1; c. 15. 17. 7; c. 15. 17. 10; c. 16. 18. 23; c. 17. 20. 16; c. 18. 21. 17; c. 19. 23. 20; c. 19. 23. 22; c. 20. 24. 19; c. 20. 25. 11; c. 21. 26. 14; c. 22. 27. 21; c. 23. 30. 11.

II. **A. A. L.** c. 2. 34. 9. *εἰ δὲ μή, τά γε πλεῖστα*: sic exhibet vulgata lectio; nam in libris manuscriptis Vaticano

[1] cf. Kuehner, l. l. II_2^2 pg. 710. c; (II_2^3 pg. 157. c).

et Barberino scriptum invenitur *τε*. sed aut voculam *γε* recte positam esse iudicabimus aut eam expungemus, *τε* vero hic nullo modo toleratur, quia nullum exstat verbum, ad quod referri potest. sed qui totum enuntiatum perlegit (*εἰ γὰρ ταῦτα εἰδείη τις καλῶς, μάλιστα μὲν πάντα, εἰ δὲ μή, τά γε πλεῖστα*), non dubitabit, quin vocula *γε*, qua eius quod antecedit verbi *πάντα* vis debilitatur, Latine „si non omnia, plurima quidem“ et aptissime usurpetur et h. l. lectionis genuinae speciem prae se ferat. alio loco (c. 19. 62. 15. *διὰ πιμελήν τε καὶ ψιλὴν τὴν σάρκα τά τε εἴδεα ἔοικεν ἀλλήλοισιν τά τε ἄρσενα τοῖς ἄρσεσι καὶ τὰ θήλεα τοῖς θήλεσι*) particulam *γε* coniectura introduxit Schneiderus.[1] haec verba num sana essent, valde ille dubitavit sic disputans: „primum enim membrum *τά τε εἴδεα ἔοικεν ἀλλήλοισι* duo alia complectitur, vel potius verba *τά τε ἄρσενα τοῖσιν ἄρσεσι κ. τ. θ. τ. θ.*, cum explicationem contineant primi membri, *τε* particula vix cum eo coniungi possunt. quamobrem pro *τε* scribendum esse censeo *γε*, quod optime in sensum quadrat, cum dicere velit Hippocrates propter obesitatem Scytharum figuras saltem inter se esse simillimas“. sic ille; num recte iudicaverit? equidem hoc negaverim. neque enim habemus, cur hic introducamus particulam, qua nihil indigemus quaque, si adsumpsimus, magis depravatur quam emendatur sensus: quid enim desideratur aut cupide flagitatur particulis sive *τε* sive *γε* omissis? cui denique verbo opponuntur *τά γε εἴδεα*? equidem neque in iis, quae supra sunt exposita neque in iis, quae infra sequuntur, aliquid eiusmodi video. itaque acquiescamus in particula *τε* expungenda, Wilamowitzium secuti.

III. **Praen.** nullum exstat exemplum.

Meliora ad iudicium de illis libris ferendum inveniri non possunt quam ea, quae ex his exemplis colliguntur. nam cum vocula *γε* in l. de praen. nusquam, in l. de a. a. l. semel — sed h. l. non plane firmata — legatur cumque in l. de p. m. tam uberrime usurpetur, dubium esse non

[1] cf. diss. pg. 16. annot. 1.

iam potest, quin nobis res sit cum diversissimis auctoribus. sed memoratu dignum est, varias particulae *γε* et coniunctiones et notiones in l. de p. m. inveniri. prima particulae *γε* vis est restrictiva[1], quam dicimus, i. e. unum verbum vehementius praedicatur, aliis verbis seu expositionibus eo consilio neglectis, ut aliter quoque res se habere possit: p. m. c. 4. 5. 13. *ἐπεὶ τό γε εὕρημα μέγα τε καὶ πολλῆς σκέψιός τε καὶ τέχνης*. h. l. scriptor haec dicit: ‚non loquar de medicina ipsa, quid quidem voluerit. hoc unum certum est difficilem fuisse eius inventionem'. eodem modo usurpatur c. 7. 8. 3. *τί δὴ τοῦτο ἐκείνου διαφέρει ἀλλ' ἢ τό γε εἶδος* et alibi. deinde illa particula nihil aliud significatur nisi illud verbum, quod particula sequitur, non sine ullo momento esse,[2] quae notio iam vergit ad aliam debilitatam, quam brevi commemorabimus, velut c. 20. 24. 19. *ἐπεὶ τοῦτό γέ μοι δοκεῖ ἀναγκαῖον εἶναι ἰητρῷ περὶ φύσιος εἰδέναι*. si in illo exemplo particulae *γε* vis peculiaris adhuc pellucet et quasi acuitur, alia atque permulta exstant, ubi illa notio genuina nisi plane attenuata non invenitur, velut semper tum, cum *γε* coniungitur cum pronomine personali, quod iam, si ipsum ponitur, grave aliquid habet: quae significatio saepius atque iterum in illo libro legitur, velut c. 12. 12. 22. *ἔγωγέ φημι*. c. 15. 17. 1. *ἀπορέω δ' ἔγωγε*. huius libri proprium videtur esse *γε* interdum postponi coniunctioni causali velut *ἐπεί*: c. 19. 23. 20. *ἐπεί γε ἄλλῳ οὐδενὶ τὸ θερμὸν μιχθὲν παύσεται*. item legitur cum coniunctionibus condicionalibus[3] copulata, qua forma condicio firmatur, velut c. 16. 18. 23. *ἤν γε μὴ παντάπασιν παγῇ τὸ σῶμα*; cf. etiam c. 13. 14. 11. semel legitur praestans exemplum, ubi *γε* coniunctum invenitur cum vocula *ὅτι*[4] „quia": c. 3. 5. 5 sq. *τῷ δὲ εὑρήματι τούτῳ . . . τί ἄν τις ὄνομα δικαιότερον . . . μᾶλλον θείη ἢ ἰητρικήν; ὅτι γε εὕρηται ἐπὶ*

[1] cf. Baeuml. l. l. pg. 55; Kuehner l. l. II_2^2 pg. 732; (II_2^3 pg. 171).
[2] cf. Baeuml. l. l. pg. 58.
[3] cf. Kuehner, l. l. II_2^2 pg. 736. 9; (II_2^3 pg. 175. 9).
[4] cf. Kuehner, l. l. II^2_2 pg. 737 c; (II_2^3 pg. 177. c).

τῇ τοῦ ἀνθρώπου ὑγιείῃ, quo exemplo finem faciamus huius de particulae *γε* commentationis.

F. Venimus nunc ad extremam totius opusculi partem, quae est extrema quoque disquisitionum singularum, quas de nonnullis particulis selectis instituimus; quae disputatio, qua agetur de *τε καί* particulis, cum multo maioris spatii erit, exponemus necesse est, cur illi rei tantum ponderis attribuamus: primum nonnullae firmae leges formari possunt, quibus singuli libri inter se differunt; deinde etiam disquisitionibus latissime patentibus ostenditur illarum vocularum positione libros valde a se abhorrere. quae cum ita essent, tamen cavendum erat, ne illis, quae effecta sunt, plurima haberetur fides: nunquam enim tam temerarius essem, ut eiusmodi indagationibus solis nisus de uno vel compluribus auctoribus ullum certum ferrem iudicium. nam philologi est semper summa cautela atque circumspecto iudicio uti: hoc non semper fieri docet Caroli Fuhrii exemplar, qui in commentatione, quae „Excurse zu den attischen Rednern" inscribitur,[1] ea observatione fultus, quod *τε καί* voculae a Plutarcho plane fere vitarentur, quinque libellos, qui in corpore Plutarcheo Chaeronensis nomine circumferuntur (consolationem ad Apollonium, de fato, de placitis philosophorum, apophthegmata Laconica, amatorias narrationes), cum illic *τε καί* cumulate invenirentur, illi abiudicavit: num iure hl. non diiudicandum est. at vero necesse est, in eiusmodi iudiciis, quibus agatur de rebus ad historiam litterarum spectantibus, totum cuiusvis scriptoris dicendi genus et nisi totum, at certe nonnullas ex omnibus scribendi consuetudinis proprietatibus indagare: tum demum recte stabit sententia. nos quidem illis quaestiunculis nihil aliud spectamus, nisi ut ostendamus illa, quae ad id tempus in quacumque parte commentationis effecta sunt, omni vano arbitrio improvidaque temeritate carere.

[1] cf. Mus. Rhen. vol. 33 (1878) pgg. 565—599.

Priusquam autem exponamus, quomodo varias disquisitiones adornare velimus, nonnulla praefandi causa anteponemus, quae ad virorum doctorum opuscula de particularum usu conscripta, quantum illi in voculas τε καί inquisiverunt, pertinent. Kuehleweinius, illarum quaestiuncularum, quod ad Hippocratem attineat, quasi ἀρχηγέτης, in secundo opusculi supra laudati[1] capite de particulis copulativis disseruit. sed iam nunc mihi dicendum est illius commentationem in hac re mihi gravissima nihil idonei praebere; locutus est ille de variis particularum καί, τε, τε καί formulis, varietatibus, positionibus, imprimis inde a pg. 51. sed non ei contigit, ut accuratius illam varii usus copiam explanaret. comprobamus igitur, quae Uthoffius de illo viro docto monuit:[2] „vocularum τε καί usum paucis exemplis ex omnibus scriptis promiscue allatis illustravit, ut cerni minime possit, quid proprii singula scripta habeant." hoc quidem addiderim eum interdum singula, quae tum contenderat, nunc in editione non iam pro vero existimasse: huius rei exemplum eligam ex libro de p. m.; inde a pg. 52 ille vir doctus summa diligentia demonstrare conatur in codicibus frequenter particulas καί et ἤ inter se confundi; cuius „voculae καί latae significationis" exemplum attulit ex l. de p. m. c. 21 = K. I. pg. 26. 12. εἰδέναι, τί λουτρὸν ἀκαίρως προσγενόμενον ἐργάσεται καὶ τί κόπος. sed in editione postea recte scripsit ἤ, quia nullus codex praebet illam lectionem.

Multo accuratiorem et pleniorem de illa materia disquisitionem instituit Schneiderus, qui de usu atque forma particularum τε καί fusius egit pg. 17—21, imprimis de illarum vocularum coniunctione. recte intellexit iis particulis coniunctas esse sententias et singula verba; docuit, quae ratio intercederet inter καί . . . καί et τε . . . καί, seiunxit voculas τε καί et compluribus verbis divisas et arte coniunctas, quamquam viderat hunc usum non diversum

[1] cf. pg. 67.
[2] cf. diss. pg. 15.

esse ab altero. sed non opus est plura. docebo postea exemplis e libro de p. m. sumptis auctorem interdum errasse, quia nondum satis cognovisset seu librorum manuscriptorum in singulis lectionibus varietates seu causas formarum variarum. tamen non reticeam eos locos, ubi aliquid ad hanc rem idoneum attulit.

Antequam ostendam, quam varie καί et τε καί in illis scriptis posita inveniantur, liceat mihi tenuibus lineis adumbrare, quae tandem sit illarum particularum notio. καί primum habuit vim adverbialem,[1] qua vi diminuta orta est notio tritissima copulae quam dicimus. nemini ignotum est interdum etiam antiquam illam vim vigere. particulis τε καί pluribus verbis disiunctis significatur[2] alterum membrum sententiae arte cohaerere cum altero, imprimis tum, cum res contrariae inter se aequantur, sed etiam tum, cum duae actiones paribus intervallis inter se distant aut cum coniunctione causali nexae sunt. τε καί artissime iuxta positas nullo verbo intermisso nondum satis tractatas invenies in grammaticis. Kuehnerus[3] nihil docet nisi tum particulas vim augendi habere praecipue in numeris. in annotatione huic paragrapho addita demonstravit, quam varie ponerentur illae particulae. itaque ea, quae nobis in hac re summo momento sunt, leviter tantum perstrinxit: de Hippocrate nihil, id quod ob eam causam dolendum est, quod tam crebra est consuetudo auctorum, qui libros Hippocrateos conscripserunt, particulas τε καί arte coniungendi, sive inter verba, sive inter nomina positae inveniuntur. recte enim iam Schneiderus[4] observavit „τε καί particulas multis locis solius particulae καί vicem praestare maximeque in l. de p. m., quem plane redundare hac verborum copulatione" dixit. mihi quoque l. de p. m. et reliqua, de quibus egi, saepius atque iterum pervolventi non contigit, ut ullum eruerem discrimen inter καί et τε καί, si illis

[1] cf. Kuehner, l. l. pg. 790; (II_2^3 pg. 246).
[2] cf. Kuehner, l. l. pg. 793; (II_2^3 pg. 249).
[3] cf. l. l. pg. 794. 4.
[4] cf. illius diss. pg. 23.

voculis coniuncta erant vel duo vel complura unius sententiae membra. Baeumlinius[1] quoque contendit *τε καί* saepius usurpari, ubi suffectura fuisset particula *καί* sola. hoc quidem facile observatur singulos singulorum librorum scriptores modo fortius modo lenius hanc vel illam copulationem in deliciis habere. denique id mihi videtur constare nos, si diligenter accurateque anquisiverimus, certissime contendere posse hanc aut illam formam h. l. praeferendam esse, hunc aut illum codicem maiorem auctoritatem habere. tamen hoc secundarium est; maximi momenti nobis semper erit, quid ex particularum illarum vario usu de singulis libris concludendum sit.

Haec erant secundum Plautinum illud antelogia argumenti; nunc ad propositum nos accedere oportet. tota disquisitio distribuetur in partes quattuor: primum agemus de verbis, deinde de duobus nominibus coniunctis, tum de illis locis, ubi duo substantiva conexa inveniuntur, quorum seu utrique additus est articulus seu alteri deest, postremo de tribus substantivis iuxta positis. sed cum ad eiusmodi disquisitiones in arte critica factitanda traducti simus, hoc mihi iam in hac parte conscribenda utile videbatur me accuratius ostendere. itaque in hac parte ab ea ratione, quam antea semper adhibuimus, aberrare disquisitionesque ita deinceps proferre nobis liceat, ut utrumque munus, et singulorum scriptorum usus peculiaris et quorundam locorum correctio, penitus pelluceant legenti: nam ut est in proverbio delectat variatio. ordiar autem omnem disquisitionem ab eo, unde in re critica factitanda orsus sum, libro, i. e. de p. m.; postquam huius auctoris dicendi consuetudinem exposuimus, ad ceterorum elocutionem nos vertemus. sed videtur necesse esse me in singula usus forma depingenda omnia quotquot leguntur exempla ad verbum excerpere. nam vix illa quaerendi forma sufficiat, qua usus est Uthoffius in particularum *τε καί* usu

[1] cf. l. l. pg. 225.

describendo: ille enim praeter numeros nudos siccosque nihil attulit, e quibus nemo ponendi proprietatem facile eliciet.

A. Ordiar disquisitiones a varia lectione, quam scriptam invenimus in l. de prisca medicina c. 10. 12. 2:

δυσκοιτέουσί τε καὶ ἐνυπνιάζουσι A.[1]
τε om M.[1]

H. l. quaestio de ea re instituenda est, utrum hic auctor duo verba particula *καί* sola an *τε καί* copulatis conectere voluerit utraque in tali iunctura eius fuerit loquendi consuetudo. sed notandum mihi est semper sermonem esse de verbo quod dicitur finito, non agi de infinitivis vel participiis copulatis. hic codex Parisinus meliorem praebet lectionem, id quod ex disquisitione, quam de auctoris in hac re usu instituemus, brevi apparebit; sed paulo post intellegemus in nonnullis locis, sunt ex quattuor, quos mihi tractandos selegi, duo, Marcianum praestantiorem formam servasse;[2] hic igitur Kuehleweinius, certe auctoris

[1] his siglis a Kuehleweinio significantur codd. Parisinus 2253 (A) et Marcianus 269 (M).

[2] videtur necessarium paucis referre, quomodo viri docti de illis codicibus iudicaverint: Kuehleweinius iam in Hermae vol. 22. (1887.) pg. 179 Parisini pretium laudibus extulit dicens: „Der Parisinus A ist nicht nur wegen seines Alters, sondern auch wegen der Vorzüglichkeit der Überlieferung der Textconstituirung des Buches π. ἀρχ. ἰητρ. zu grunde zu legen." eiusdem codicis patrocinium susceperunt complures viri docti, velut Gomperzius („S. Ber. d. K. Acad. d. Wiss zu Wien; philosoph.-histor. Kl." vol. 83. 1876. cf. seors. expr. pg. 28—30; idem in iisdem nuntiis academicis vol. 122. (1890), nonnullis locis illarum disquisitionum, quae inscribuntur „Beiträge zur Kritik u. Erklärung gr. Schriftsteller"), Ilbergius in Mus. Rhen. vol. 42. nov. ser. pg. 441, idem iam in fine dissertationis (Lips. 1883) pg. 61: „praestantissimus et antiquissimus codex Par. A. 2253 saec. X, in quo, quamquam ceteris codicibus minus servata est dialectus, textus tamen legitur et plenior et correctior", Wilamowitzius („Philol. Unters." vol. VII = „Hom. Untersuchungen") pg. 316: „Der Text ist dem, den Galen hatte, ebenbürtig, nicht selten überlegen". primus Weberus in Philol. vol. 56, pgg. 231—44, deinde Blassius in ‚Litterar. Zentralblatt' (1896) pg. 780. demonstraverunt, et cod. M lectiones interdum haud aspernandas esse: quod ego quoque et antea docui et postea docebo.

in hac re dicendi consuetudinem ignorans, quia vestigia codicis A a se valde amati sequebatur, rectam formam in textu posuit. sed quamquam textus ipse h. l. non est mutandus, tamen rem accuratius perscrutandam esse autumavi, quia gratus eventus fit ei, qui hanc rem singularem per complures libros Hippocrateos persecutus est. neque enim casu accidisse potest legentem in libro de p. m. paene obrui illis coniunctis particulis, duobus verbis medio interpositis, immo haec mihi videtur necessaria ratiocinatio auctorem huius libelli adamasse illam colligationem: sin autem aliis libris pervestigatis atque excussis illam coniunctionem aut raro aut prope nusquam invenies, quid aliud tibi remanebit, quam putare hos libros ab aliis scriptoribus nescioquibus exaratos esse? dixerit fortasse quispiam librarii cuiusdam incuria particulam *τε* in codice A additam esse: quae dubitatio etsi non semper futtilis — cui enim librariorum oscitantia atque neglegentia ignotae? — tamen h. l. non modo falsa, sed inepta foret. exemplorum enim innumerabili copia impeditur, quominus hoc casu accidisse dicamus. inveniuntur autem exempla his locis: c. 2. 2. 23. *νοσέουσί τε καὶ πονέουσι.* c. 2. 3. 2. *αὔξεταί τε καὶ φθίνει.* c. 3. 3. 12. *ἐσθίουσί τε καὶ πίνουσι.* c. 8. 8. 18. *ὠφελοῖτό τε καὶ ἰσχύοι.* c. 9. 9. 1. *πονήσειέ τε καὶ κινδυνεύσειε.* c. 9. 9. 7. *ὠφέλει τε καὶ ἔτρεφεν.* c. 11. 12. 8. *λαπαχθῇ τε καὶ ἡσυχάσῃ.* c. 13. 14. 20. *κέκρηταί τε καὶ μέμικται.* c. 14. 15. 8. *πάσχει τε καὶ ἑτεροιοῦται.* c. 16. 19. 12. *περισταλέωσί τε καὶ ἐν ἀλέῃ γένωνται.* c. 20. 25. 20. *ἐγείρεταί τε καὶ κινεῖται.* c. 22. 29. 7. *ἀνθέστηκέ τε καὶ οὐχ ὑπείκει.* sane egregia exemplorum congeries: sed quomodo iudicabimus de c. 2. 3. 1. et c. 19. 24. 2, ubi prorsus alia copulatio (*καί*) in textu legitur? primum mihi fatendum est his exiguis locis non posse feliciter concertari contra tantam exemplorum catervam, quantam modo effudi: neque enim quisquam invenitur, qui contendere audeat omnem regulam semper fixam immutatamque esse; semper enim, id quod quaevis grammatica docet, cum regula simul exceptiones oriuntur. deinde accedit, quod h. l. ,verba primo obtutu

vocula *καί* sola copulata sunt, quae res mihi tam gravis videtur, ut fusius eam explanare necesse sit. c. 2. 3. 1 sqq. leguntur haecce: *αὐτοὺς μὲν οὖν τὰ σφέων αὐτῶν παθήματα καταμαθεῖν, ὥς γίνεται καὶ παύεται καὶ δι' οἵας προφάσιας αὔξεταί τε καὶ φθίνει, δημότας ἐόντας οὐ ῥηίδιον.* quis hoc enuntiato perlecto atque percepto non intelleget, simulatque ex apparatu critico comperit codicem M h. l. *ὥς τε γίνεται* praebere, *τε* particulam scribae neglegentia a suo loco remotam esse? quae observatio fulcitur ea re, quod verba *γίνεται καὶ παύεται* in priore enuntiati parte et *αὔξεταί τε καὶ φθίνει* in altera prorsus inter se respondent. si autem verba bipertita inter se congruunt, tum etiam conspiret necesse est particularum copulativarum forma. quamobrem hic locus non oppugnat regulae, sed eam confirmat.[1] verum non solum hic, sed etiam altero loco nos rectam viam incessisse facile demonstratur; haec enim leguntur in c. 19. 24. 2: *ὅταν πέσσηται καὶ ἐν ἡσυχίῃ ᾖ*; hic quoque primo aspectu regula supra a nobis formata laeditur; quod cognoscitur ex apparatu critico, cum varias lectionis formas contemplamur: in M legitur *πέσσηταί*, in A[1] *παύει τε*, in A[2] *πέσσει τε.* qui, quam varia hic sit codicum scriptura, pensitaverit, cognoscet h. l. rectam formam regulae aequam latere. notissimum enim est Byzantinae neglegentiae et exilitatis temporibus, quibus hi libri manuscripti librariorum manibus exarati sunt, non iam accurate distingui inter *ται* et *τε* similia.[2] hae enim

---

[1] Haec coniectura apto exemplo stabilitur, quod legitur p. m. c. 6. 7. 3–4: *τροφή τε καὶ αὔξησις . . . φθίσις τε καὶ ἀρρωστίη.* hoc loco codicum consensu illa verba tradita sunt; exemplum autem propterea optime in locum supra laudatum quadrat, quia eadem vocabula hic usurpantur. nihil autem impedit, quominus hic habeamus nomina, illic verba; nam inter se consonant *αὔξεται* et *αὔξησις, φθίνει* et *φθίσις.*

[2] eiusmodi menda scribendi simili sonitu vocalium unius seriei orta, quae nos philologi itacismorum nomine complecti solemus, in l. de p. m. multa inveniuntur, quae numeris solis afferre sufficiat: c. 5. 6. 11; c. 8. 8. 13; c. 10. 11. 1; c. 11. 12. 16; c. 12. 13. 5; 8; c. 13. 13. 13; 18; c. 14. 15. 3; c. 15. 17. 17; c. 16. 18.

syllabae simili sonitu pronuntiabantur; quid igitur magis ad verum accedet, quam h. l. rectam fuisse lectionem *πέσσηταί τε*? utraque enim syllaba facile omitti potuit. accedit, quod libri A variis scripturis demonstratur, *τε* particulam olim h. l. exstitisse.

Hoc igitur illa disquisitione evictum est auctorem l. de p. m. adamasse constructionem, qua duo verba voculis *τε καί* artissime cohaereant, respuisse illam, qua duo membra particula *καί* sola iungantur qui denique exempla supra collecta perspexit, brevi intelleget pleraque verba eiusdem generis esse; perraro illa copulatione verba coniunguntur, quae, si accuratius deliberaveris, magis sunt dissimilia quam similia. nam mirum in modum conexa sunt verba *αὔξεσθαί τε καὶ φθίνειν* (c. 2. 3. 2.), quia hic res contrariae significantur. recte igitur Schneiderus[1] ad hunc locum annotavit magis particulam disiunctivam quam copulativam desiderari

Longe aliter res se habet in libro de aere, aquis, locis: hic plane contrarius valet usus. hic enim scriptor, cum duo verba componit, solam particulam *καί* usurpare solet, aspernatur *τε καί* coniunctas. sed opus est exemplis, ut summa differentia clare cognoscatur ab omnibus. incipiam a perpaucis, ubi verba particulis *τε καί* sunt copulata: mirum autem hic tibi eveniet! sunt enim tria exempla, e quibus duo statim exstingui possunt, quia non ab omni parte huc pertinent: c. 10. 50. 20. (*πήγνυταί τε καὶ συνίσταται*) et c. 17. 59. 18. (*ἱππάζουσί τε καὶ τοξεύουσι*). hic enim habemus enuntiatum non ex duobus, sed ex quattuor membris consistens; sequuntur haec: *καὶ ἀκοντίζουσι . . . καὶ μάχονται*, illic codex Barberinus (B) variam praebet

15; c. 16. 19. 3; c. 16. 20. 2; 5; 6; c. 17. 20. 21; c. 18. 21. 17; c. 19. 22. 17; c. 19. 22. 19; c. 19. 23. 20; c. 20. 24. 6; c. 20. 24. 11; 15; c. 20. 25. 12; 18; 24; c. 21. 27. 11; c. 22. 27. 16; c. 22. 28. 12; 20; c. 22. 29. 8; c. 23. 30. 7. addam Uthoffium in diss. pg. 6—7 collegisse nonnulla eiusdem generis exempla, imprimis talia, ubi *η* pro *ι* exstat; sed plane nescivit, qua causa orta essent illa menda.

[1] cf. illius diss. pg. 23.

lectionem, qua omittitur *τε*, quae lectio, si eam amplectamur, quod ego quidem velim, quadrat in auctoris consuetudinem componendi. restat igitur c. 7. 43. 8. *ὑγιαίνει τε καὶ ἔρρωται.* quid autem valet unum exemplum contra tot, ubi sine ulla exceptione verba cum sola particula *καί* conexa leguntur? non videremur, opinor, temerarii, si tum etiam contra codicum scripturam particulam *τε* eraderemus, sicut alio huius opusculi loco[1], scriptoris de p. m. dicendi genere indagato, c. 20. 24. 18. expunximus voculam *αἰτίαν* codicum consensu traditam, introduximus *πρόφασιν* ab illo adamatam. sunt autem loci, e quibus huius auctoris usus pellucet, hi: c 8. 45. 3. *ἐκκρίνεται καὶ ἐξίσταται.* c. 8. 45. 5. *λείπεται καὶ γλυκαίνεται.* c. 8. 45. 9. *ὁκόταν δὲ ἀθροισθῇ καὶ συστραφῇ.* c. 8. 46. 2. *ἐκκρίνεται καὶ ἀφανίζεται.* c. 8. 46. 9. *ἀφανίζεται καὶ ἀναξηραίνεται.* c. 9. 46. 25. *στασιάζει καὶ κρατεῖ.* c. 9. 47. 16. *διιεῖ καὶ ἐξουρεῖται.* c. 9. 47. 17. *συστρέφεται καὶ συμπήγνυται* c 9. 47. 24 *τρίβουσι καὶ ἕλκουσι.* c. 22. 64. 22. *ἀποχωλοῦνται καὶ ἑλκοῦνται.* his exemplis omnibus collectis mea quidem sententia satis clare percipitur nullo modo in hac quidem re consentire auctores librorum de p. m. et de a. a. l.

Venio nunc ad eius viri, qui l. de praenotionibus scripsit, in hac re usum. hoc praemonendum est in his disquisitionibus aliquanto difficilius quam antea discrimina indagari: nam aut *καί* aut *τε καί* particulis verba copulantur, tertium non datur. ergo certa argumenta in hac re tum tantum inveniuntur, cum quis duo scripta inter se confert. sed etiam, si tertius liber quaestioni accedit, fieri potest, ut eruatur, primum, utri formae magis sit dedita dicendi proprietas, deinde, utrum eadem crebritate singula vocabula conectantur an auctor magis in deliciis habuerit verba non copulata. quaerimus igitur, qualis fuerit auctoris, qui l. de praen. confecit, consuetudo in verbis componendis. sed hic nihil certi elicitur; leguntur enim duo loci, e quibus alter particulas *τε καί*, alter *καί* solam praebet: c. 24. 105. 9. *ἢν διαλείπῃ τε καὶ καταλαμ-*

[1] cf. pg. 16.

βάνῃ; c. 18. 99. 5. *κίνδυνος, μὴ παραφρονήσῃ καὶ ἀποθάνῃ*. si quis posset animum inducere in hoc loco codicem Vaticanum sequi, qui sane aetate inferior est Parisino 446, qui *τε καί* exhibet, auctor l. de praen. in verborum compositione eandem viam incederet atque libri de p. m., ubi *τε καί* coniunctas superiores agere partes intelleximus. sed tamen de hac re iudicium cohibendum esse censeo. verum hoc certum videtur esse huius libri loquendi formam ob eam causam non posse comparari cum ceteris, quos disquisivimus, quia tam exilis invenitur exemplorum numerus, et quia in toto opusculo magis leguntur singula verba non copulata quam complura aliqua particula conexa: ergo in hac quidem re aliquid discriminis investigavimus.

B. Postquam, quomodo in illis libris scriptores verba particulis copulativis coniungere solerent, intelleximus, recta disquisitionis via adducimur ad nomina quae vocantur et quae secundum grammaticorum Latinorum doctrinam discedunt in duas partes, dico vocabula et apposita. Qui igitur usus hic valet, quomodo hic auctores complura nomina conectunt, utrum sola particula *καί* an duplici illo *τε καί*? quam ad rem plenius enucleandam ansam praebet locus dubius l. de prisca medicina c. 14. 16. 21:

τάραχος καὶ ἀπόκρισις A.
ταραχή τε καὶ ἀπόκρισις M.

quam variam lectionem qui libero atque soluto iudicio contemplatur, primo animi motu adductus codici Parisino palmam dabit; sed erraret, si in hac cogitatione insisteret. sane concedo facile unumquemque sola illa voce, quae est *τάραχος*, adduci posse, ut codicis M lectionem, qua tritissima huius vocabuli forma *ταραχή* praebetur, contemnat; semper enim secundum Lachmanni doctrinam rarius vocabulum recti sincerique speciem prae se fert. sic forsan novissimus editor iudicaverit, qui in textu constituendo codicis A lectionem secutus est. quem virum doctum illo modo deliberasse haud improbo. neque enim in textu cuiusvis auctoris edendo editor semper dare potest operam, ut exemplis undique collatis sibi fundamentum

paret, quo posito talia minuta recte discernuntur; sed hoc quidem mihi videtur esse cuiusvis editoris in elocutionem huius scriptoris, quem in manibus habet, inquirere, ut hac via atque ratione difficiliora discrimina, quae non statim primo quasi obtutu apparent, cognoscat cognitisque, si qua legendi varietas orta sit, utatur ad rectam textus formam enodandam. quod mihi Kuehleweinius saepius videtur vitasse codicis A nimia aestimatione deceptus. sed brevi tempore cognoscemus minime hic codicem A primas partes agere, immo Marcianum longe meliorem servasse lectionem.

Initium disquisitionis faciam a libro de prisca medicina, qua re absoluta me vertam ad l. de a. a. l., finem faciet l. de praen. materiam disceptandi satis copiosam ita dispescam, ut in altera parte agam de substantivis, in altera de adiectivis. sed hoc velim animadvertas: semper rem agi de nominibus compositis, quibus articuli desint.

I. Substantiva. quindecim exempla inveniuntur in l de p. m., ubi particulae *τε καί* nominibus interpositae leguntur: c. 1. 1. 6. *νούσων τε καὶ θανάτου*. c. 3. 5. 3. *τροφήν τε καὶ αὔξησιν*. c. 4. 5. 14. *πολλῆς σκέψιός τε καὶ τέχνης*. c. 6. 7. 3. *τροφή τε καὶ αὔξησις*. c. 6. 7. 4 *φθίσις τε καὶ ἀρρωστίη*. c. 10. 11. 9. *χάσμης τε καὶ νυσταγμοῦ*. c. 14. 16. 5. *πληθός τε καὶ ἰσχύν*. c 14. 16. 19. *πρὸς ἡδονήν τε καὶ κόρον*. c. 19. 22. 7. *ἐρυσιπέλατά τε καὶ περιπνευμονίαι*. c. 22. 28. 12. *φῦσάν τε καὶ ἀνειλήματα*. c. 22. 28. 14. *κοιλίῃ τε καὶ θώρηκι*. c 22. 28. 15. *ψόφον τε καὶ πάταγον*. c. 22. 28. 16. *μεταβολάς τε καὶ κινήσιας*. c. 22. 28. 19. *νάρκη τε καὶ πληρώματα*. c. 22. 29. 12. *ἐμπνυήματά τε καὶ φύματα*. sed quid faciemus, cum viderimus, etiam substantiva inveniri, quae sola particula *καί* colligata sint? haec autem exempla si quis accurate perspexit, statim exclamabit Horatianum illud „nil moror“. sane sunt exempla, quae oppugnare videntur ceteris a nobis supra compositis: sed tamen stabit regula hunc auctorem adamasse utriusque particulae copulationem. hi sunt loci divergentes: c. 1. 1. 19. *κατὰ χεῖρα καὶ κατὰ γνώμην*. c. 9. 10. 6. *δι᾽ ἀγνωσίην καὶ ἁμαρτίην*.

c. 10. 11. 23. *μετὰ στρόφου καὶ ψόφου.* c. 16. 18. 8. *ψυχρότητα δ' ἐγὼ καὶ θερμότητα.* c. 16. 18. 12. *κρῆσις . . . καὶ μετριότης.* c. 18. 21. 16. *διὰ χυμῶν δριμύτητας καὶ ἀκρησίας.* c. 19. 22. 6. *βράγχοι γίνονται καὶ συνάγχαι.* primum hoc apertum est haec exempla longe pauciora esse alteris. sed nondum sufficit demonstratio, quae solis numeris stabilitur, quamquam etiam haec non sine momento est. etsi firma regula tum formari non potest, tamen semper ex potiore exemplorum congerie hoc unum pellucebit scriptorem hanc formam praetulisse alteri: sed magna discrimina exstant haec inter illaque. si duo nomina particulis *τε καί* conectuntur, semper artissime inter se cohaerent, nihil verbi positum invenies inter primum nomen et secundum. longe aliter hic: bis nomina seiunguntur uno sive compluribus verbis interpositis velut c. 16. 18. 8. et c. 19. 22. 6. haec est altera discrepantia, altera sequatur. nullum exemplum in prima serie invenies, ubi nomina pendent a praepositionibus, hic autem cetera quinque exempla eo modo sunt constructa. quae qui intellexit hoc unum quidem concedet exempla, quae in secunda congerie composita sint, minime confundi posse cum ceteris. itaque ad id adducimur consilium, ut in loco supra laudato codicis M scripturam ut rectam amplectamur.

II. Hactenus de substantivis; de adiectivis non multis opus est. *τε καί* leguntur his locis: c. 1. 1. 15. *ἄπειροί τε καὶ ἀνεπιστήμονες.* c. 3. 4. 5. *πολλά τε καὶ δεινά.* c. 3. 4. 6. *ὠμά τε καὶ ἄκρητα.* c. 14. 16. 12. *ἄκρητόν τε καὶ ἰσχυρόν.* c. 18. 21 4. *θερμήν τε καὶ διάπυρον.* c. 18. 21. 6. *ἄσαρκόν τε καὶ σκληρόν.* c. 19. 23. 9. *δριμεῖαί τε καὶ ἰώδεες.* c. 22. 27. 7. *ἐκ κοίλου τε καὶ εὐρέος.* c. 22. 28. 10. *σκληρός τε καὶ πυκνός.* c. 22. 28. 18. *σαρκώδεά τε καὶ μαλθακά.* c. 22. 29. 3. *μαλθακόν τε καὶ ἀραιόν.* c. 22. 29. 15 *νευρωδεστέρη τε καὶ ἰσχυροτέρη.* particulae *καί* solius hoc invenitur exemplum: c. 22 29. 11. *ὀξύταται καὶ πυκνόταται.* nemo qui contrapositis duobus exemplorum generibus semel chartam aspexit, negabit discrimen tantum esse, quantum numquam exspectaverit: illic longus

tractus, ubi semper *τε καί* interposita videbis, hic unum tenue vileque exemplum, quo certe nemo regulam reiciet, ne audacissimus quidem. quid autem, si ostendi potest, etiam hoc unum exemplum a communi huius scriptoris consuetudine abhorrens nullo modo nocere posse, quia librarii nesciocuius seu incuria seu oscitatione particula *τε*, quae hic desideratur, falso loco posita sit? quam ad rem plenius diiudicandam necesse est me totum enuntiatum, sicut traditum est in libris, afferre: *διὰ ταύτας τὰς προφάσιας ὀδύναι τε ὀξύταται καὶ πυκνόταται πρὸς τοῦτο τὸ χωρίον γίνονται ἐμπνήματά τε καὶ φύματα πλεῖστα:* iam apertum erit, quid imprimis hic observatione dignum sit. habemus duo unius enuntiati membra: alterum in fine positum praebet duo nomina particulis *τε καί* coniuncta; alterum particula *τε* caret, vel potius ea particula verbo *ὀδύναι* falso postposita est. quid igitur facilius est quam manifestum illud librarii mendum corrigere emendareque in hunc modum: *ὀδύναι ὀξύταταί τε καὶ πυκνόταται?* quo facto totum enuntiatum naturali quodam flumine currere nemo negabit quae disputatio eo non refellitur, si quis in libris ad artem medicinam attinentibus nullam accuratam membrorum responsionem exspectandam esse contendit: neque enim sine ulla elegantia scripti sunt hi libri,[1] cum praesertim fere nimis severe illa stili limatioris regula observetur, qua aut singulae unius enuntiati partes aut duo enuntiata particulis *μέν* et *δέ* inter se opponuntur.[2]

---

[1] cf. Haeserum, l. l. I pg. 112, quae verba supra pg. 7 sub annot 2 excerpsimus; cf. Kuehleweinium in diss. pg. 3: „monendum mihi videtur, Hippocratis orationem a natura ipsa profectam, illa antiqua simplicitate, quam apud Homerum et Herodotum admiramur, imprimis insignem esse, sed ita, ut elegantiam nusquam desideres“; cf. Cobetum „Commentationes philologicae tres“, Amstelod. 1853. pg. 16.

[2] interdum libri Hippocratici quasi redundant numero illo oratorio, ita ut nos magis rhetorum scholas quam medicorum officinas intrare putemus, atque id nobis accidit non solum in illis scriptis, quae penitus tincta sunt illis lepidioris stili argutiis (sunt enim in corpore Hippocratico libri nonnulli, quorum auctores non sunt *ἰατροί*, sed *ἰατροσοφισταί*), sed etiam in iis, qui medici severi

Sic res se habet in libro de p. m. nunc videamus, quomodo in l. de aere, aquis, locis nomina conectantur. primum colligam omnia exempla et nominum sola particula *καί* coniunctorum et eorum, quae *τε καί* particulis copulantur; ut commodior intellectu fiat huius capitis conexus, ordiamur ab adiectivis, quorum in l. de p. m. compositionem modo tractavimus, finem faciant substantiva.

I. *καί*: c. 1. 34. 1. *ἀλυκοῖσι καὶ ἀτεράμνοισι.* c. 1. 34. 3. *μετέωρος καὶ ψυχρή.* c. 3. 35. 22. *νοσερὰς καὶ ῥοώδεας.* c. 3. 36. 11. *ὑγραὶ καὶ οὐ χαλεπαί.* c. 4. 37. 16. *σκληρὰς καὶ ἰσχυράς.* c. 4. 38. 3. *ὀλίγαι καὶ πονηραί.* c. 7. 40. 10. *ἐπιτήδεια καὶ ἀνεπιτήδεια.* c. 7. 42. 10. *σκληρὰ καὶ καυσώδεα.* c. 7. 42. 13. *γλυκέα καὶ λευκά.* c. 7. 43. 17. *ἄριστα καὶ τακερώτατα.* c. 8. 44. 3. *κουφότατα καὶ γλυκύτατα.* c. 10. 49. 3. *αὐχμηρὸς καὶ βόρειος.* c. 10. 49. 4. *ἔπομβρον καὶ νότιον* = c. 10. 51. 17. c. 12. 53. 15. *ἠπιώτερα καὶ εὐοργητότερα.* c. 13. 55. 8. *ἀγριωτάτη καὶ ἀνωμαλωτάτη.* c. 15. 57. 3. *θερμὰ καὶ στάσιμα.* c. 15. 57. 15. *νοτώδει καὶ θολερῷ.* c. 15. 57. 22. *ἀσθενὴς καὶ βληχρός.* c. 16. 58. 22. *χρηστὰ καὶ ἀνδρεῖα.* c. 16. 59. 3. *ἀνδρεῖος καὶ εὔψυχος.* c. 23. 67. 3. *πολλαὶ καὶ παντοδαπαί.*

II. *τε καί*: c. 1. 34. 2. *ψιλή τε καὶ ἄνυδρος.*[1] c. 4. 36. 25. *σκληρά τε καὶ ψυχρά.* c. 4. 37. 2. *εὐτόνους τε*

austerique ingenium sapiunt: cuius rei nondum satis observatae haec sint exempla: I. similis verborum sonitus: p. m. c. 10. 11. 23. *μετὰ στρόφου καὶ ψόφου.* de arte c. 13. pg. 62. 5. Gomp.: *ταχύτητι καὶ βραδύτητι.* de officina (K. II. c. 8. 35. 5) *ἅμμα καὶ ῥάμμα.* de affectionibus (Li. vol. VI. c. 48. pg. 258. 4): *τὰ τυρώδεα καὶ μελιτώδεα.* de victu l. III (Li. vol. VI. c. 68. pg. 598. 12): *ὁ χρίνος καὶ ὁ πόνος.* hoc exemplum Gomperzius, qui in commentario editioni l. de arte addito pg. 145 nonnulla exempla illorum vocabulorum iuxta positorum collegit, neglexit. II. figurae sententiarum (*σχήματα διανοίας*): de articulis c. 30. pg. 146. 13 K. II: *διὰ τοῦτο δὲ καλέονται καὶ διὰ τοῦτο κινέονται* (*πάρισον*). ibid. c. 82. 242. v. 11—12: *ἢν δὲ ἐς τὸ ἔσω, βλαισότεροι | ἢν δὲ ἐς τὸ ἔξω, γαυσότεροι* (*ἰσόκωλον*). de fractis c. 16. 73. 19. K. II: *καὶ καλῶς καὶ αἰσχρῶς* (*ὁμοιοτέλευτον καὶ ἀντίθετον*). haec perpauca e multis sufficiant.

[1] h. l. cum primum primae interrogationis geminatae partis membrum, quod supra laudavimus, *τε καί* coniunctas exhibeat,

καὶ σκελιφρούς. c. 5. 39. 2. *εὔχροά τε καὶ ἀνθηρά.* c. 7. 41. 21. *φθινώδεά τε καὶ πονηρά.* c. 9. 47. 7. *εὔροός τε καὶ ὑγιηρή.* c. 13. 55. 14. *δενδρώδεσί τε καὶ ἐφύδροισι.* c. 13. 55. 15. *λειμακωδεστέροις τε καὶ ἑλώδεσι.* c. 15. 56. 22. *πολλοί τε καὶ ἰσχυροί.* c. 24. 70. 1. *ὀργὰς αὐθάδεάς τε καὶ ἰδιογνώμονας.*[1]

Sane utrumque genus complura praebet exempla, et dubitamus ex illis tam firmam regulam formare, quam feceramus et faciendum erat in l. de p. m. sed hoc quidem, cum duplicatus inveniatur numerus locorum sola particula *καί* copulatorum, apertum est, hunc scriptorem anteposuisse eam compositionem, qua duo adiectiva hac forma conectuntur, minus ei quaesitam fuisse alteram; quae cum ita sint, non potest dubitari, quin scriptor, qui utrumque genus sibi permisit, quorum alterum superiores agit partes idque plane contrarium libro de p. m. non idem esse possit atque is, cui debetur l. de p. m.: nam illic omnes loci secundum unam regulam eamque inevitabilem formati leguntur.

Sed fortasse aliter res se habet, si substantivorum iuncturam contemplamur. haec sunt exempla:

I. *καί*: c. 8. 45. 4. *ἠὴρ καὶ ὀμίχλη.* c. 9. 46. 16. *ὑπὸ νεφριτίδων καὶ στραγγουρίης.* c. 10. 51. 15. *πλευρίτιδας καὶ περιπνευμονίας.* c. 12. 54. 2. *ὑπὸ αὐχμῶν καὶ ἀνυδρίης.*

II. *τε καί*: c. 3. 36. 3. *σπασμούς τε καὶ ἄσθματα.* c. 5. 39. 4. *ὀργήν τε καὶ σύνεσιν.* c. 7. 41. 15. *περιπνευμονίαι τε καὶ μανιώδεα νοσεύματα.*

Numerus exemplorum, quae *τε καί* praebent, diminuitur, si c. 7. 41. 15. expunximus: hic enim utrumque substantivum non arcte componitur, sed post particulas *τε καί* sequitur adiectivum, tum demum alterum substantivum. sic prima exemplorum congeries dimidio maior fit altera:

etiam alterum membrum sic construendum est; ergo legendum: *δασεῖά τε καὶ ἔφυδρος.* accedit, quod duo altera membra inter se respondent: *ἔγκοιλος καὶ πνιγηρὴ εἴτε μετέωρος καὶ ψυχρή.*

[1] eadem verba redeunt in illius capitis calce pg. 71. 2, ubi pro comperto habeo, particulam *τε* scribae neglegentia omissam esse; sed restituenda est.

auctor igitur hic quoque coniunctionem per *καί* solum anteposuit. ergo summa, quam supra brevi significavimus, hic quoque sine dubio valet: auctores, quorum alter substantiva paene omnia *τε καί* particulis conectere solet, alter contrariam viam ingreditur, iidem esse nullo modo possunt.

Auctor denique prognostici, qui, utrum in verborum copulatione cum scriptore libri de p m. conspiravisset necne, in suspenso reliquimus, hic eandem constructionem atque ille non usurpavit nisi in substantivis, ubi *τε καί* particulae palmam ferunt: sex enim substantivis illo modo colligatis contraposita sunt duo exempla, quae *καί* praebent. sed audiamus illa ipsa:

I. *τε καί*: c. 2. 80. 2. *ἐν ἡμέρῃ τε καὶ νυκτί.* c. 10. 87. 19. *ὑπὸ ὀδύνης τε καὶ πόνου.* c. 11. 89. 13. *σὺν κόπρῳ τε καὶ οὔρῳ.* c. 13. 91. 10. *φλέγματός τε καὶ χολῆς.* c. 17. 97. 4. *ἄνευ*[1] *πόνου τε καὶ βηχός.* c. 24. 104. 22. *μετ' οἰδήματός τε καὶ ὀδύνης.*

II. *καί*: c. 11. 89. 5. *ἄνευ ψόφου καὶ πραδήσιος.* c. 14. 92. 14. *κορύζας καὶ πταρμούς.*

Sed a se discedunt auctores, si illius in adiectivis componendis consuetudinem contemplamur: nam par est numerus exemplorum, quae particula *καί* sola et particulis *τε καί* coniunctis copulantur, cum sint ab utraque parte undecim. haec sunt, quae inveniuntur:

I. *καί*: c. 2. 81. 6. *ψυχρὰ καὶ ἔκλευκα.* c. 3. 82. 5. *μανικὸν καὶ θανατῶδες.* c. 3. 8.. 11—12. *ἢ πελιδνὸν καὶ ξηρὸν ἢ ὠχρὸν καὶ σκληρόν.* c. 4. 82. 19. *κακὰς καὶ θανατώδεας.* c. 12. 90. 6. *λεπταὶ καὶ λευκαί.* c. 12. 90. 18. *λεπτὰ καὶ ὠμά.* c. 15. 94. 4. *μέγα καὶ πυκνόν* c. 17. 97. 10—11. *χλωρὸν καὶ πελιδνὸν ἢ φλεγματῶδες καὶ ἀφρῶδες.* c. 18. 98. 3. *εὔλυτοι καὶ εὔκρητοι.* c. 19. 100. 1. *λευκὴν καὶ λείην.* c. 23. 104. 11. *μέζον καὶ πελιδνόν.*

---

[1] h. l. meus animus propensior est ad codicis M lectionem, qua *ἄτερ* praebetur, quia ex tribus locis, ubi illud adverbium legitur, duo formam *ἄτερ* exhibent (cf. c. 18. 98. 11. *ἄτερ φανερῆς προφάσιος.* c. 21. 101. 23. *ἄτερ σημείων τοιούτων*). *ἄνευ* legitur solo loco in c. 11. 89. 5, qui locus supra laudatus est.

II. *τε καί*: c. 7. 85. 2. *μαλθακόν τε καὶ ἀνώδυνον.* c. 8. 86. 13. *σκληρά τε καὶ ἐπώδυνα.* c. 11. 88. 1. *μαλθακόν τε καὶ συνεστηκός.* c. 12. 90. 3. *ὑπέρυθρός τε καὶ λείη.* c. 15. 94. 16. *ἀγαθά τε καὶ κακά.*[1] c. 17. 97. 2. *σμικρά τε καὶ συνεστηκότα.* c. 18. 98. 10. *λαπαρόν τε καὶ ἀνώδυνον.* c. 19. 99. 17. *σκληραί τε καὶ ἐπώδυνοι.* c. 20. 101. 12. *εὔπνοοί τε καὶ ἀνώδυνοι.* c. 21. 101. 21. *ἰσχυραί τε καὶ συνεχέες.* c. 22. 102. 9. *συνεχεῖ τε καὶ ἰσχυρῷ.*

Itaque ii, qui fortasse speraverant, in hac re auctorem libri de praen. cum ceteris collaturum esse valde decepti sunt. neutrius enim scriptoris neque l. de p. m. neque l. de a. a. l. scribendi consuetudo aliquid similitudinis habet cum illius in substantivis adiectivisque componendis.

C. Qua re ad finem perducta ad tertiam constructionis formam nos vertamus, quae mihi longe anti-

---

[1] h. l. codex Marcianus inversum verborum ordinem exhibet: *τὰ κακά τε καὶ ἀγαθά.* ut pelluceat, quam saepe eiusmodi in vocabulorum positione varietates inveniantur, excerpam omnes similes, quos notavi, locos, utut leguntur in illis tribus opusculis. sed hoc mihi videtur addendum esse eiusmodi verborum transmutationes paene nusquam corrigi posse, quia recta vocularum series librariorum socordium culpa in perpetuum deleta est. I. P. M.: c. 1. 2. 2; c. 3. 5. 8; c. 4. 5. 14; c. 5. 6. 1; c. 5. 6. 16; c. 6. 6. 24; c. 9. 9. 12; c. 9. 9. 18; c. 9. 10. 5; c. 10. 11. 19; c. 10. 11. 23; c. 11. 12. 13; c. 11. 12. 19; c. 13. 13. 13; c. 14. 15. 17; c. 14. 16. 3; c. 15. 17. 7; c. 15. 17. 16; c. 16. 18. 12—13; c. 16. 19. 2; c. 17. 20. 11; c. 17. 20. 14; c. 18. 21. 17; c. 19. 23. 20; c. 21. 26. 5; c. 21. 26. 8; c. 22. 28. 9—10; c. 22. 29. 2; c. 24. 30. 10; c. 24. 30. 13. II. A. A. L: c. 1. 33. 1; c. 5. 38. 12; c. 5. 39. 1; c. 12. 53. 6. III. Praen.: c. 3. 82. 9; c. 8. 86. 6; c. 8. 86. 11; c. 9. 86. 16; c. 9. 86. 18; c. 11. 88. 17; c. 11. 88. 18; c. 11. 88. 20; c. 12. 90. 10; c. 12. 90. 16; c. 13. 91. 14—15; c. 15. 93. 6; c. 17. 96. 5—6; c. 17. 96. 16; c. 17. 96. 20; c. 19. 99. 16; c. 19. 100. 5; c. 20. 100. 21; c. 20. 101. 15; c. 20. 101. 16; c. 21. 102. 5; c. 22. 102. 9; c. 22. 102. 10; c. 23. 103. 6; c. 23. 103. 17; c. 23. 104. 2; c. 23. 104. 4; c. 24. 105. 23; c. 24. 107. 8; c. 25. 107. 15; c. 25. 108. 4. satis habui numeros locorum solos excerpsisse: nam pigebat illos verbotenus exscribere neque opus erat. simili modo Ulhoffius l. l. pg. 4—5 collegit exempla ex libris chirurgicis, ubi saepius codices in verborum positione variant.

quior visa est eis, quas adhuc contemplati sumus; sed praemonendum est, agi et de substantivis et de adiectivis copulatis. quem ad usum accuratius eruendum vocamur lectionum discrepantia, quae exstat in l. de prisca medicina c. 9. 10. 7:

οἱ κακοί τε καὶ οἱ πλεῖστοι ἰητροί A.
οἱ om. M.

Hic codicem Marcianum praestabiliorem servasse lectionem scriptoris usu demonstratur. quod non intellexit Kuehleweinius, qui hic quoque Parisini lectionem Marciano praetulit. accedit, quod hic non solum auctoris construendi consuetudo sicce describenda est, sicut in ceteris huius disputationis partibus facere coactus eram. immo formari potest firma regula, qua huius libri auctor valde secernatur a ceteris corporis Hippocratei scriptoribus: hic enim certum discrimen inter *καί* et *τε καί* significari potest. nam si quis omnia exempla excerpserit, haec erit summa disquisitionis: I. si in enuntiato, quod consistit ex duobus membris sive *καί* sive *τε καί* coniunctis, particulae *τε καί* iuxta positae inveniuntur, articulus priori sententiae membro addendus est, alteri debet deesse. II. duplex autem articulus tum demum recte ponitur, cum diremptis particulis *τε καί* insequitur *τε* primum articulum, *καί* anteponitur alteri. sed longe inferiores partes agit secunda forma, cum quinque exempla in toto libello legantur: c. 5. 6. 2. *τοῖσι τε κάμνουσι καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι.* c. 5. 6. 4. *οἵ τε βάρβαροι καὶ τῶν Ἑλλήνων ἔνιοι.* c. 5. 6. 20. *τῇσι τε κρήσεσι καὶ τῷ πλήθει.* c. 6. 7. 1. *οἵ τε πυρετοὶ καὶ τὰ ἀλγήματα.* c. 9. 10. 15. *τά τε ἁμαρτήματα καὶ ἡ ἀτεχνίη.* prior autem forma est usitatissima, ne dicam tritissima: nam non minus quam viginti septem loci eius generis inveniuntur, undecim substantiva, sedecim adiectiva. ab his ordiamur enumerationem: c. 1. 2. 2. *τὰ ἀφανέα τε καὶ ἀπορεόμενα.* c. 3. 4. 11. *τοὺς μὲν πλείστους τε καὶ ἀσθενεστέρην φύσιν ἔχοντας.* c. 3. 4. 23. *τὰ ἰσχυρά*

τε καὶ ἄκρητα. c. 6. 7. 13. *τὰ ἰσχυρότατά τε καὶ ἐπιφανέστατα.* c. 7. 7. 20. *ἐξ ἐκείνης τῆς ἀγρίης τε καὶ θηριώδεος διαίτης.* c. 13. 14. 7. *τὸ βεβαιότατόν τε καὶ προφανέστατον.* c. 16. 18 11. *τὸ θερμόν τε καὶ ψυχρόν.*[1] c. 16. 20. 5. *τὸ ἐναντιώτατόν τε καὶ ἀφαιρεόμενον.* c. 18. 21. 6. *τὸ χωρίον ἄσαρκόν τε καὶ σκληρόν.* c. 22. 26. 23. *τὰ κοῖλά τε καὶ ἐξ εὐρέος ἐς στενὸν συνηγμένα*: idem legitur c. 22. 27. 5; — c. 22. 26. 24. *τὰ στέρεά τε καὶ στρογγύλα*: haec verba redeunt pg. 27. 21. in eodem capite. c. 22. 26. 25. *τὰ πλατέα τε καὶ ἐπικρεμάμενα.* c. 22. 27. 19. *τὰ κοῖλά τε καὶ ἐκπεπταμένα.* c. 22. 28. 2. *τὰ σπογγοειδέα τε καὶ ἀραιά.* nunc audiamus substantivorum exempla: c. 3. 3. 18. *τὴν τῶν ὑγιαινόντων δίαιτάν τε καὶ τροφήν.* c. 3. 4. 25. *πρὸς τὴν τοῦ ἀνθρώπου φύσιν τε καὶ δύναμιν.* c. 3. 5. 7. *ἐπὶ τῇ τοῦ ἀνθρώπου ὑγιείῃ τε καὶ σωτηρίῃ.* c. 4. 5. 12. *διὰ τὴν χρῆσίν τε καὶ ἀνάγκην.* c. 4. 5. 14 *τὸ εὕρημα μέγα τε καὶ πολλῆς σκέψιος.* c. 4. 5. 15. *οἱ τῶν γυμνασίων τε καὶ ἀσκησίων ἐπιμελόμενοι.* c. 5. 6. 18. *τῇ κρήσει τε καὶ ἑψήσει.* c. 7. 7. 18. *τὴν ἀμφὶ τοὺς κάμνοντας δίαιτάν τε καὶ τροφήν.* c. 7. 7. 24. *διὰ τὴν θηριότητά τε καὶ ἀκρησίην.*[2] c. 17. 20. 8. *τοῖσι καύσοισί τε καὶ περιπνευμονίῃσι.* c. 22. 26. 21. *τὰς ἀκρότητάς τε καὶ ἰσχύν.* quae summa diversitas nullo modo mero casu effici potuit; nemo enim negabit scriptorem illa construendi forma, qua articulus particulis *τε καί* artissime conexis non iteratur, mirum quantum delectatum esse eique postposuisse alteram. his omnibus denique intellegitur, in loco supra citato solam

[1] Schneiderus l. l. pg. 23 h. l. scribi iubet *τὸ θερμόν τε καὶ τὸ ψυχρόν*: non intellexit, *τε καί* tam arte inter nomina iis tantum locis componi, ubi postero membro deesset articulus. magis ad verum accedit, quod Reinholdus proposuit, *τό τε θερμὸν καὶ τὸ ψυχρόν.* sed cum hanc copulandi formam rariorem esse altera ostenderimus cumque lectio, ut est in libris, plane consonet cum auctoris usu creberrimo, nihil habemus, cur codicum scripturam immutemus.

[2] sic est scribendum cum codice Marciano: Kuehleweinius, auctoris in hac re usum ignorans, codicem A secutus est, qui contra regulam articulum *τήν* exhibet ante *ἀκρησίην.*

codicis Marciani scripturam cum auctoris componendi consuetudine consonare.

Longe aliter ceteri auctores rem tractavere. primum leviter perstringam usum, qui observatur in libro de aere, aquis, locis: hic novies legimus illam formam, quam minus saepe usurpavit scriptor libri de p. m., dico particulas *τε καί* diremptas articulo iterato, atque id quinquies in substantivis, quater in adiectivis. haec sunt exempla, quae leguntur; incipiamus a substantivis: c. 12. 53. 12. *τὰς φύσιας τῶν συμπάντων τῶν τε ἐκ τῆς γῆς φυομένων καὶ τῶν ἀνθρώπων.* c. 12. 53. 25.—54. 1. *ὕδασι . . . τοῖσι τε οὐρανίοισι καὶ τοῖς ἐκ τῆς γῆς.* c. 12. 54. 13. *ἐς τά τε εἴδεα αὐτῶν καὶ τὰ μεγέθεα.* c. 20. 62. 23. *τούς τε ὤμους καὶ τοὺς βραχίονας.* c. 21. 63. 24. *ἥ τε πιότης τῆς σαρκὸς καὶ <ἡ>* [1] *ὑγρότης.* nunc sequantur adiectiva: c. 22. 68. 21. *τό τε ἄγριον καὶ τὸ θηριῶδες.* c. 24. 69. 8. *τό τε στάσιμον καὶ τὸ ὄμβριον.* c. 24. 70. 15. *τό τε ῥάθυμον καὶ τὸ ὑπνηρόν*, quibus verbis eleganti illa responsione, quam saepe et invenimus et, ubi depravata erat, restituimus, opponuntur haec: c. 24, 70. 20. *τό τε ἐργατικὸν καὶ τὸ ἄγρυπνον.* sed alterius formae copulandi, qua *τε καί* arte coniuncta praebentur, unum exemplum invenitur idque non plane consonans cum legitima illa consuetudine: c. 23. 67. 17. *τὸ δὲ ἥμερόν τε καὶ ἤπιον*, ubi particula *δέ* alter articulus dirimitur ab adiectivo, quod attinet. itaque hic quoque confirmatur priorum disquisitionum finis libros de p. m. et de a. a. l. varios esse libros a variis auctoribus conceptos. operae pretium est addere in l. de a. a. l. interdum inveniri construendi proprietatem, quae nusquam legitur in l. de p. m.: dico constructionem, qua particula *τε* statim postponatur praepositioni; nos autem exspectamus particulam *τε* postponi priori articulo cuius copulationis haec observantur exempla: c. 22. 66. 20. *ὑπό τε τοῦ ψύχεος καὶ τοῦ κόπου.* c. 23. 67. 6. *ἔν τε τῷ θέρει καὶ τῷ χειμῶνι.* c. 24. 68. 12. *περί τε τῆς Εὐρώπης καὶ τῆς Ἀσίης.*

[1] sic scribi iubeo, auctoris componendi usu commotus: in codicibus secundus articulus deest.

Iuvat auctorem libri de praenotionibus in hac re nullo modo componi posse cum ceteris. nam illius componendi formae, qua l. de p. m. quasi redundare supra demonstravimus, hic unum exemplum legitur: c. 11. 89. 10. *τοὺς πόνους τε καὶ κυρτώματα.* alterius generis, quod auctorem l. de a. a. l. saepius, l. de p. m. non item usurpasse intelleximus, in hoc libro tria leguntur: c. 2. 80. 9. *τά τε ἐν τῷ σύμπαντι σώματι καὶ τὰ ἐν τοῖσι ὀφθαλμοῖσιν.* c. 7. 84. 9. *ὅ τε πυρετὸς . . . καὶ τὸ οἴδημα.* [1] c. 9. 86. 17. *τῆς τε κοιλίης καὶ τῶν πλευρῶν.* c. 23. 103. 15. *ὅ τε αὐχὴν καὶ τὸ στῆθος.* omnibus locis computatis quattuordecim leguntur exempla: e quibus longe maiorem partem ea efficiunt, ubi duo nomina, quibus adest articulus, copulantur seu *καί* sola, seu *τε καί* coniunctis particulis. nam huius formae quattuor, illius quinque exempla inveniuntur. sed inspiciamus ipsa:

a) *καί*: c. 12. 90. 16. *τῇσι μὲν γυναιξὶ καὶ τοῖσιν ἀνδράσι.* c. 15 94. 7. *τὴν μὲν γαστέρα καὶ τὰς πλευράς.* c. 22. 102. 16. *οἱ γὰρ πυρετοὶ καὶ αἱ παραφροσύναι.* c. 23. 103. 13. *ἡ φάρυγξ καὶ ὁ αὐχήν.* c. 24. 106. 8. *τοῖσι μὲν ἀνδράσι καὶ τῇσι γυναιξί.*

b) *τε καί*: c. 8. 86. 4. *ἀπὸ τῶν κενεώνων τε καὶ τῆς ὀσφύος.* c. 8. 86. 8. eadem verba, sed ex praepositione *ἐκ* pendentia. c. 14. 92. 2. *περὶ τὸν πνεύμονά τε καὶ τὰς πλευράς.* c. 20. 100. 22. *ὁ ἐνιαυτός τε καὶ οἱ μῆνες.* ergo auctor utramque formam pariter fere adhibuit. nemo igitur dubitabit, quin et hac disquisitione stabiliatur illud iudicium, quod ex omnibus quaestionibus adhuc prolatis percepimus.

D. Accedam nunc ad ultimam, quae de particularum sive *καί* sive *τε καί* ponendarum forma instituenda est,

[1] hoc exemplum huc introduxi, quamquam non prorsus est eodem modo constructum, quia duo membra dirimuntur vocula *ἔχων*: eadem verba ad verbum repetita leguntur nonnullis versiculis post c. 7. 84. 20.

quaestionem. agitur autem de tribus membris, quorum nullo additus est articulus. hic quoque quaestio orta est varietate lectionis l. de prisca medicina, ubi in c. 22. 28. 2. haec legitur codicum discrepantia:

σπλήν τε καὶ πνεύμων καὶ μαζοί A.

τε om. M.

utra colligatio legitima est in hoc libro, illa per particulas *καί . . . καί* an altera per *τε καί . . . καί*? h. l. Kuehleweinius iure ac merito codicem A secutus est, sed adhuc dubitandum, utrum fecerit usus scriptoris accurata cognitione commotus, an quia semper illius codicis patrocinium susceperit. exemplis enim omnibus collatis cognoscitur auctorem l. de p. m. semper primum membrum cum altero coniunxisse vocibus *τε καί*: c. 3. 3. 22. *καρπούς τε καὶ ὕλην καὶ χόρτον.* c. 3. 4. 6. *ὠμά τε καὶ ἄκρητα καὶ μεγάλας δυνάμιας ἔχοντα.* c. 3. 5. 4. *τροφήν τε καὶ αὔξησιν καὶ ὑγιείην.*[1] c. 3. 5. 7. *ὑγιείῃ τε καὶ σωτηρίῃ καὶ τροφῇ.* c. 9. 10. 14. *μεγάλῳ τε καὶ ἰσχυρῷ καὶ ἐπισφαλεῖ νοσήματι.* c. 10. 11. 9. *χάσμης τε καὶ νυσταγμοῦ καὶ δίψης πλήρεες.* c. 14. 16. 17. *ἄρτος τε καὶ μᾶζα καὶ ἑπόμενα τούτοις.* c. 19. 22. 8. *ἁλμυρά τε καὶ ὑγρὰ καὶ δριμέα.* c. 22. 27. 17. *κύστις τε καὶ κεφαλὴ καὶ ὑστέρη.* sane etiam in l. de p. m. inveniuntur loci, qui non videntur in hanc regulam quadrare; sed illi loci propterea non componendi sunt cum istis, quos supra attulimus, quia primo totius enuntiati substantivo antepositus est articulus; duobus autem locis non copulatio per *τε καί . . . καί*, sed per duplicem particulam *καί . . . καί* legitur: c. 3. 5. 9. *οἱ πόνοι καὶ νοῦσοι καὶ θάνατοι.* c. 17. 20. 18. *τὸ ἡγεύμενον καὶ παροξυνόμενον καὶ αὐξανόμενον.*

Priusquam ad auctoris l. de a. a. l. dicendi consuetudinem accuratius exponendam accedamus, liceat mihi coniecturam proferre, qua mihi totius loci sensus aliquantum

---

[1] sic M, cuius lectionem Kuehleweinius quoque necessitate coactus in textu posuit; A praebet nominativi formas, quae propter antecedentia verba (cf. v. 2 pg. 5.) *πόνους τε καὶ νούσους καὶ θανάτους* nullo modo stare possunt.

corrigi videtur. in l. de p. m. c. 22. 29. 4. haec leguntur verba: *ἁπαλόν τε* (sic M; A *δέ*) *καὶ τεθηλὸς καὶ ἔναιμον.* Kuehleweinius hic codicis A scripturam amplexus est, ut assolet, commotus, opinor, recta deliberatione, hoc membrum enuntiati tripertiti oppositum esse alteri, quod incipiat a vocibus *μήτε ἰσχυρόν . . .*, finiatur voculis *μήτε μαλθακόν τε καὶ ἀραιόν.* sed cum codex M, quem iam alibi optimum, cum de particulis seu *καί* seu *τε καί* ambigebatur, ducem cognovimus, praebeat particulam *τε*, qua inserta congruens cum ceteris eiusdemmodi locis forma efficitur, non dubito, quin h. l. codex Marcianus meliorem servaverit lectionem, quae in textu ponenda est. sed ubi tandem, si *τέ* pro *δέ* scribimus, manet contradictio? his ex angustiis hoc est certissimum effugium: ante vocabulum *ἁπαλόν* addatur *ἀλλά.* sic enim fortior contradictio, quae altero sententiae membro postulatur, optime redditur. ergo initium huius enuntiati partis ita scribendum esse autumo: *ἀλλ' ἁπαλόν τε καὶ τεθηλὸς καὶ ἔναιμον.* iudicio meo adminiculum accedit, quod particula illa adversativa *ἀλλά* oculis librarii in insequentis verbi initium aberrantibus facillime omitti potuit. quam saepe denique *τε* et *δέ* a scribis commutentur, cum nemo ignoret, nemo quoque huius mendi usitatissimi, quod in omnibus litterarum Graecarum generibus, et in pedestribus et in poeticis invenitur, exempla exiget.

Ab arte critica factitanda redeamus ad propositum. aliter scriptor l. de aere, aquis, locis rem gessit, ubi contraria consuetudo observatur. iis enim locis, ubi primum membrum caret articulo, omnia membra coniuncta sunt particula *καί* sola, cuius generis haec sint exempla. adiectiva sequantur substantivorum enumerationem, quorum pauca leguntur: c. 2. 34. 5. *φιλοπόται καὶ ἀριστηταὶ καὶ ἀταλαίπωροι.* c. 3. 36. 7. *πλευρίτιδες καὶ περιπνευμονίαι καὶ καῦσοι.* c. 10. 51. 19. *βράγχους καὶ κορύζας καὶ βῆχας.* c. 22. 66. 14. *ὑπὸ κεδμάτων καὶ ἰσχιάδων καὶ ποδαγριῶν.* adiectivorum aliquanto maior est numerus: c. 4. 38. 1. *σκληρά τε καὶ ἀτέραμνα καὶ ψυχρά.* c. 7. 40. 15. *ἐλώδεα*

καὶ στάσιμα καὶ λιμναῖα. c. 7. 40. 16. θερμὰ καὶ παχέα καὶ ὀδμὴν ἔχοντα. c. 7. 42. 18. λαμπρότερα καὶ εὐώδεα καὶ κοῦφα. c. 7. 42. 20. ἁλυκὰ καὶ ἀτέραμνα καὶ σκληρά. c. 7. 43. 19. ἀτέραμνα καὶ σκληρὰ καὶ ἥκιστα ἑψανά. c. 8. 46. 1. λαμπρὸν καὶ κοῦφον καὶ γλυκύ. c. 18. 60. 9. λειμακώδης καὶ ψιλὴ καὶ ἔνυδρος. c. 24. 68. 23. κοῖλα χωρία καὶ λειμακώδεα καὶ πνιγηρά. c. 24. 69. 1. ἐς εὖρος πεφυκότες καὶ σαρκώδεες καὶ μελανότριχες. c. 25. 70. 9. γῆ πίειρα καὶ μαλθακὴ καὶ εὔυδρος. huic longo exemplorum tractui, quo auctoris componendi usus demonstratur — sunt autem quindecim loci — opposita sunt tria, ubi primum membrum cum altero coniunctum est voculis τε καί: c. 4. 38. 1. σκληρά τε καὶ ἀτέραμνα καὶ ψυχρά. c. 7. 41. 1. σκληράς τε καὶ λεπτὰς καὶ θερμάς. c. 24. 69. 15. λεπτά τε καὶ ἄνυδρα καὶ ψιλά; quibus paucis locis regula non refutatur, sed confirmatur: quod idem accidit in aliis locis contra regulam constructis: hic enim aut verbum insertum est, velut c. 10. 50. 3. λεπτά τε ἐόντα καὶ ἀσθενέα καὶ νοσώδεα. c. 24. 68. 17. χώρην ὀρεινήν τε οἰκέουσι καὶ τρηχεῖαν καὶ ὑψηλήν, aut particulae τε antecedit praepositio, velut c. 16. 58. 21. ἀπό τε παιδίων καὶ γυναικὸς . . . καὶ τῶν λοιπῶν φίλων. c. 19. 61. 17. ἀπό τε χιόνος καὶ κρυστάλλου καὶ ὑδάτων. itaque finis disquisitionis, quam modo attulimus, non abhorret ab aliis supra institutis: libros de p. m. et de a. a. l. non ab eodem scriptore compositos esse.

Restat, ut breviter exponamus, quomodo fuerit auctoris l. de praenotionibus in hac re usus. sed cum tria tantum exempla exstent, quae aptius cum ceteris, quae in libris de p. m. et de a. a. l. invenimus, componi possunt, non multum utilitatis ex his colligitur: nam unum exemplum legitur, ubi primum membrum cum altero particula καί sola conectitur: c. 2. 79. 17. σκληρὸν καὶ περιτεταμένον καὶ καρφαλέον; in duobus reliquis ad id τε καί particulae copulatae usurpantur: c. 7. 85. 18. λευκόν τε καὶ λεῖον καὶ ὁμαλόν. c. 17. 97 3. λευκόν τε καὶ λεῖον καὶ ὁμόχροον. sed notatu dignum est, interdum aliam formam adhiberi, ubi singula

membra per καί . . . καί . . . καί coniunguntur: c. 17. 96. 19. καὶ πόνον καὶ δύσπνοιαν καὶ πτυελισμόν. c. 23. 103. 8. καὶ δευτεραῖαι καὶ τριταῖαι καὶ τεταρταῖαι c. 25. 108. 3. καὶ ἐν Λιβύῃ καὶ ἐν Δήλῳ καὶ ἐν Σκυθίῃ. sed cui copulationis formae magis fuerit deditus ille auctor, erui nullo modo potest, quia tam exigua indagantur exempla: hoc manifestum est eum propter illam ipsam rem non comparandum esse cum ceteris auctoribus, e quibus eum, qui confecit l. de p. m. copulationem per τε καί . . . καί particulas, eum, cui debetur l. de a. a. l., contrariam formam per καί . . . καί adamasse supra ostendimus.

Hac quoque particula pertractata venimus ad finem totius commentationis, qua variis disquisitionibus affatim demonstrasse nobis videmur a diversissimis auctoribus exarata esse illa scripta. sed priusquam totam indagationis viam leviter adumbremus, paucis comprehendamus etiam huius extremi capitis, ubi de selectis particulis res agebatur, summam: accuratiora post finem omnis quaestiunculae collegimus.

In particulis δή et δήπου adhibendis l. de p. m. longe maiores partes egit, cum ceteri libri voculae δή singulum, voculae δήπου nullum exemplum exhiberent. item auctor l. de p. m. in particula πέρ usurpanda longe distabat a reliquis et in numero et notionibus variis, sed etiam in libris de a. a. l. et de praen. discrimina non deerant. contra particulae οὖν eiusque variarum coniunctionum l. de a. a. l. plurima exempla exhibuit, qui liber a ceteris etiam eo abhorruit, quod prae aliis μὲν οὖν coniunctas in deliciis habuit, dum γοῦν nisi in l. de p. m. non exstabat. hic liber etiam in particulae γέ usu cum ceteris non comparari potuit, quia illic copiosissime usu venit, sed in l. de a. a. l. nullum certum, in l. de praen. prorsus nullum exemplum inventum est. quod denique et καί et τε καί particulas attinet, haec effecta sunt: I. in duobus verbis componendis in l. de p. m. regnabant voculae τε καί, in l. de a. a. l. καί. II. in duobus nominibus copulandis haec observata sunt: a) in substantivis in l. de p. m. τε καί,

in l. de a. a. l. *καί* copiosius adhibentur; b) in adiectivis in l. de a. a. l. et *καί* et *τε καί* prope simili modo usu veniunt, in l. de p. m. omnes loci *τε καί* exhibent. III. tum cum duo substantiva seu adiectiva cum articulo conectuntur, in l. de p. m. saepissime inveniuntur constructa in hunc modum: *οἱ κακοί τε καὶ πλεῖστοι ἰητροί*, in l. de a. a. l. autem secundum hoc exemplar: *οἵ τε κακοὶ καὶ οἱ πλεῖστοι ἰητροί*. IV. in tribus substantivis, seu adiectivis, quae articulis carent, componendis auctores librorum de p. m. et de a. a. l. valde a se dissident: hic primum nomen cum secundo componere solet vocula *καί* sola, ille particulis *τε καί* coniunctis. postremo addam, etiam librum de praen. in omnibus illis rebus aliquid dissimilitudinis cum ceteris scriptis habere, de qua re suis locis nonnulla exposuimus.

Quae postquam comprehendimus, reliquum est, ut, quomodo totam disquisitionem adornaverimus, paucis repetamus: nam iam res eo deducta est, ut perorari possit. nonnullis de quaestione Hippocratica deque indagationum grammaticarum utilitate prooemii loco praemissis in prima parte ostendimus tria illa scripta, quae ad disquisitiones accuratiores nobis selegimus, non statim primo obtutu variis attribui posse auctoribus, cum in cogitationibus praeceptisque (c. I) et in quibusdam rebus grammaticis aliquid concinni haberent (c. II): qua in re demonstravimus illos libros exaratos esse quinto a. Chr. n. saeculo, quia et in vocabulis *πρόφασις* et *γνώμη* adhibendis et in verborum repetitione penitus inter se consonarent. deinde interpellationem, quae niti potuit in argumentorum varietate, refellimus demonstrando (c. III) ex hac re, nisi nonnulla graviora discrimina ex dicendi genere petita accederent, nullo modo colligendum esse, illa scripta concepta esse a variis auctoribus. in altera parte, quam distribuimus in tria eaque latissima capita, singulis disquisitionibus grammaticis exposuimus, re vera illos libros a diversissimis auctoribus conceptos esse: quamobrem primum in verborum electionem (c. I), deinde in modorum usum (c. II), tum in particulas selectas inquisivimus (c. III). e quibus

quaestionibus, quae effecta sunt, in fine cuiusvis capitis collegimus.

Itaque omnibus singulis argumentis computatis neminem eorum iudicum, qui illa perlegerint, negaturum esse spero haud dubie illa scripta variis deberi auctoribus; qui denique illi fuerint, elicere, multum difficultatis habet, vel potius nulla iam ratione inveniri potest. tamen me non multum a vero abscedere confido in hunc modum commentationem terminantem: omnes tres auctores fuerunt medici — fortasse Hippocratis Coï discipuli — qui non solum arti suae erant dediti, sed etiam propter scribendi consuetudinem haud inelegantem, quae est priscioris cuiusdam gustus, inter scriptores iustos Iadis antiquioris, cum fuerint seu quinto saeculo seu quinto ad quartum vergente, inserendi sunt.

Mantissa huic opusculo addita, qua continebantur nonnulla libamenta critica ad libros Hippocraticos pertinentia, postea alio loco publici iuris fiet.

Appendix I.

Index coniecturarum et locorum, de quibus supra disputatum est.

Appendix II.

Index librorum, quibus in hoc opusculo saepius usus sum:

A. Editiones operum Hippocraticorum.

I. Oeuvres complètes d'Hippocrate . . . par E. Littré. 10 voll. Paris. 1839—61. = Li.

II. Hippocratis opera omnia rec. Hugo Kuehlewein. vol. I. Lips. 1894; II. ibid. 1902. = K.

B. Rei medicinalis historiae.

I. Haeser, Lehrbuch der Geschichte der Medizin und der epidemischen Krankheiten vol. I. Jenae 1875.

II. Neuburger, Gesch. der Med. vol. I. Stuttg. 1906.

III. Neuburger u. Pagel, Hdbch. d. Gesch. der Med. Jenae 1902.

IV. Pagel, Einführung in die Gesch. der Med. Berol. 1898.

C. Dissertationes.

I. H. Kuehlewein, Observationes de usu particularum in libris, qui vulgo Hippocratis nomine circumferuntur. Gotting. 1870.

II. Joh. Kaute, Observationes grammaticae de modorum usu in Hippocratis scriptis genuinis. Gryphiswald. 1876.

III. H. Uthoff, Quaestiones Hippocraticae. Marburgi 1884.

IV. Ed. Schneider, Quaestionum Hippocratearum specimen. Bonnae 1885.

D. Libri grammatici.

I. W. Baeumlein, Untersuchungen über griechische Partikeln. Stuttg. 1861.

II. Raphael Kuehner, Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache, vol. II_2 ([2]Hann. 1872; [3]ed. B. Gerth. Hann. 1904).

Reliqua suis locis annotavi.

Conspectus rerum in hac commentatione tractatarum.

Vita.

Guilelmus Franciscus Robertus Schonack natus sum a. d. XI. Kal. Sext. anni 1885 Berolini patre Maximiliano, mercatore honestissimo, matre Bertha e gente Schilling, quos parentes adhuc superstites summa qua addecet pietate colo. Fidem profiteor evangelicam. primis litterarum elementis imbutus per tres annos discipulus fui gymnasii Lessingiani; deinde per sex annos Sophiae gymnasium frequentavi; cuius ex praeceptoribus, e quibus nonnulli provectiores erant in litteris, honoris causa hos nomino, quorum instructioni permultum debeo: Kochium, qui fuit et rerum gestarum et litteraturae Germanicae praeceptor ingeniosissimus, Seyffertum †, qui de Plauto optime meruit, Walliesium, notissimum illum commentariorum Aristoteleorum editorem. Autumno anni 1904 maturitatis quod vocant testimonio instructus in numerum civium universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis receptus sum, ubi per septies sex menses studiis ad litteras antiquas et Germanicas potissimum spectantibus operam navavi, admixtis modice philosophicis et historicis.

Docuerunt me viri clarissimi atque doctissimi: Diels, Helm, Rothstein, W. Schulze, Vahlen, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff; Strecker, P. de Winterfeld †; Baesecke, Herrmann, Heusler, R. M. Meyer, Roethe, Ericus Schmidt; Foerster, Lasson, R. Lehmann, Menzer, Riehl, Stumpf, Vierkandt; Münch, Paulsen †; H. Delbrück, Dessau, Hoeniger, Klebs, v. Sommerfeld; Gunkel, Harnack, Pfleiderer †; Börnstein, v. Bortkiewicz. Proseminarii philologi sodalis fui per ter senos menses exercitationibusque interfui, quas moderabantur Diels, Helm, Imelmann, M. C. P. Schmidt, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff; deinde seminarii philologi per duo semestria sodalis fui ordinarius, ubi Dielesii, Nordeni, Vahleni doctrina fructus sum. Praeterea ut exercitationibus interessem benigne concesserunt Hirschfeld epigraphicis, Ed. Meyer historicis, Riehl philosophicis, P. de Winterfeld † mediolatinis. Proseminarii et seminarii Germanici per singulum semestre fui hospes, Roethio et Erico Schmidtio concedentibus. quibus viris omnibus, inprimis autem Vahleno, cui quantum debeam, vix possum proloqui — nam illius exercitationibus Graecis Latinisque praecipue effectum est, ut philologiam tractare discerem et in Latine scribendi loquendique artem penitus introducerer — gratias et ago candidissimas semperque habebo gratum animum.

Reliquum est, ut palam gratias agam Iulio Hirschbergio, ophthalmologiae professori Berolinensi ordinario honorario eidemque philologo emunctae naris, qui mihi auctor fuerit huius commentationis conscribendae. Denique facere non possum, quin grato animo affectus commemorem Ippelii, directoris bibliothecae regiae Berolinensis erga me benevolentiam, qua mihi complures libros, quibus opus erat in opusculo conficiendo, ultra legitimam diem constitutam saepius atque iterum prorogavit.

Commentationem absolvi a. d. III. non. Iun., examen quod vocant rigorosum sustinui Regimontii a. d. IV. Kal. Sext. a. 1908.

Vita.

[illegible] a. d. XI. Kal. [illegible] [illegible]

[illegible] Berolini [illegible]

[illegible] Höfer, [illegible]

[illegible]

[illegible] quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas.

[illegible]

[illegible]